DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE MALO HYPOCHONDRIACO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit,

JOANNES STARK, A. M.

FIFANUS.

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord. et Praeſ. An.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIII.

GEORGIO DEMPSTER,

De DUNNICHEN,

ARMIGERO,

Cujus nomen,

Omnibus qui id norunt,

Morum comitatem miram, ſuavitatem benigniſſimam,

Erga amicos ſuos animum fidelem,

Integritatem ac facundiam ſenatoriam,

Amorem patriae intemeratum,

Erga humanum genus benevolentiam ſummam,

deſignat et deſignabit;

Hoc opuſculum, qualecunque ſit,

Sacrum eſſe voluit

AUCTOR.

Mr Jeffray

with best Compts from the

Author.

DISSERTATIO MEDICA,

DE

MALO HYPOCHONDRIACO.

QUICUNQUE ad hiſtoriam hominum animum advertet, dum multa omnibus aetatibus communia notabit, quaedam ſingulis propria, eaſque ab aliis diſtinguentia, quoque deprehendet. Apud homines incultos, more barbaro degentes, et cives ornatos, vitia, virtutes, et opiniones admodum ſunt diverſae. Hinc plurima diſcrimina quod ad mentes, nec minora quod ad corpora, annis labentibus, oriuntur. Multi morbi, olim funeſti ac frequentes, mitiores ac rariores fiunt, quidam omnino evaneſcunt, in quorum vicem, novi, interdum moleſtiores, ſuccedunt. Eos plene enumerare nunc non eſt opus; obſervare ſolummodo liceat, hypochondri-

aſim,

aſim ſententiae jam allatae optimum eſſe exemplum. Raro, forſan nunquam, apud barbaros inventa; homines poſt artes excultas, et divitias auctas, mollitiei luxuriaeque deditos, laceſſit. Hoc in ſaeculo, praeſertim apud noſtrates, adeo viget, ut fere nullum ordinem hominum non invadit. Divitias injucundas, pauperiem intolerandam, reddit.

Morbus adeo dirus, adeoque frequens, attentionem haud dubie meretur; qui igitur naturam ejus illuſtrare conabitur, ſeu rem bene geſſerit, ſeu non, venia ſaltem, ſi non laude, dignus habebitur.

Hypochondriaſim hoc modo definire volumus. Dyſpepſia, cum anxietate, moeſtitia, et metu, ex rebus parum alias valentibus, plerumque in temperamento melancholico.

In hoc tentamine, ad naturam morbi illuſtrandam, ordinem ſequentem ſervare in animo eſt.

Primum, Morbi ſymptomata;

Deinde, Diagnoſin;

Tunc, Cauſas praediſponentes;

Denique, Cauſas excitantes narrare; et ex his prognoſin, cauſam proximam, et rationem ſymptomatum, eruere, deinde prophylaxin et methodum medendi tradere, conabimur.

MORBI

MORBI SYMPTOMATA.

Hujus morbi ſymptomata omnia plene enarrare, difficillimum quidem eſt, et pene Herculeus labor. In diverſis enim caſibus, et quidem in iiſdem, diverſis temporibus, adeo ſibi impar eſt, ut nobis frequentiora tantum et pathognomonica ſigna notare liceat.

Hypochondriaſis plerumque lento gradu accedit, et indigeſtione, aliiſque malis dyſpepticis, ſeſe monſtrat. Ægri ſcilicet appetitus varius eſt, interdum omnino deletus, aliquando ſolito avidior, etſi ea quae ſalutaria et in medio poſita ſaepe odit, incongrua et noſciva nonnunquam captat. Sitis perrara, potus faſtiditur. Paulo ſerius, gravis cardialgia, et acidiſſimae eructationes oriuntur. Nauſea frequenter cietur, vomendi niſus, et ipſi vomitus, ſuccedunt, et colluvies ejecta, haud raro ſubfuſci vel nigri coloris, et fere ſemper peracris, et guſtu peracida eſt.

Aliquando

Aliquando diarrhoea, ſed ſaepius alvi tarditas, ſupervenit. Nec raro mariſcae vel caecae haemorrhoides adſunt *. Mictio nonnunquam dolorifica eſt; urina, ut in hyſteria, interdum copioſa et limpida.

Tunc quoque ſpaſmis et torminibus ventriculus et inteſtina infeſtantur, et flatibus et borborygmis diſtenduntur. Hinc acuti dolores, ad inteſtina tenuiora, latera, et dorſum lancinantes, et ſpeciem nephritidis, ſeu colicae, prae ſe ferentes, hypochondria, praecipue ſiniſtrum, tentant et cruciant.

Ex ſymptomatibus antedictis, quae plerumque in principio occurrunt, ventriculum et inteſtina eſſe primam et praecipuam morbi ſedem, perſuaſiſſimum habuimus. Verum, ut mira ſympathia, divino quidem conſilio, inter animum corpuſque, et inter partes corporis diverſiſſimas, praecipue inter ventriculum et genus nervoſum, obtinet, vis morbi maligna longe lateque diffuſa, per totum vagatur et ſaevit. Immo, in pleriſque exemplis, glandulae ſalivae et muci oris liquores ſuos majori copia effundunt, ideoque nonnunquam

* Hoffmanni Op. tom. 2. c. vi. § 11.—Van Swieten, tom. 3. p. 507.

nonnunquam ſputatores nominati hypochondriaci.

Cor ipſum, nobile viſcus, tremit, et palpitationibus violentis vexatur, ita ut non ſolum ab aegro, ſed adſtantibus quoque, percipi poſſint. Varius et mutabilis ſemper pulſus, ſed ſaepius tardus et durus eſt.

In hoc morbi ſtadio, etiam, aeger moeſtus, reſpiratione laborioſa, et ſuſpiriis ab imo pectore ductis interrupta, haud raro opprimitur. Vertigo et ſtupor occurrunt. Tinnitus et murmura, vel moleſta ſurditas, aures obſident. Modo umbris, maculis luridis, muſcis, et parvis retibus, in aëre volitantibus, oculi obſcurantur; modo denſiſſimis tenebris obruuntur, aliquando etiam res oblata duplices repraeſentant. Odores inuſitati, foetidi, et hircini ſentiuntur.

Sed graviora ſuperſunt. Nam in hoc morbi ſtadio provecto, ſi miſer aeger, induciarum a ſaevis doloribus cupidus, ad ſomnum perfugere conetur, ſpe fruſtrata, inſomnis agit noctes. Somnus, aliis mortalibus omnium malorum dulce lenimen, eheu! huic, rebus in adverſis, nullum tutamen, aut omnino avolat, aut horrido

incubu,

incubu, pectus opprimente, frequenter interrumpitur, et perturbatur.

Quod non levius, imaginatio errans et inſana, fictis et horrendis ludit imaginibus. Namque infelix aeger ſemper ſolus ſibi relinqui, ſemperque longam et incertam ire viam incomitatus, videtur; nunc, ab hoſte inexorabili correptus, nullum exitum ad fugam invenire poteſt; nunc ſublime fertur; de arbore altiſſima, vel de ſcopulo, caput inter nubila condente, ſubito praecipitatur; et jamjam, horrendum dictu! atra janua Ditis patet, fabulaeque manes, et domus exilis Plutonea, in conſpectum ſurgunt.

Ingraveſcente adhuc malo, ſerius ocius, varie in variis, cerebrum afficitur. Mores ſoliti mutantur; aeger difficilis, querulus, et praecipue de ſua valetudine anxius eſt. De minimis quoque rebus ſolicitus evadit. Tunc, mens ejus, ex toto mutata, nubila fit atque ſevera; memoriae, ut et rationis, vis miſere proſternitur *. Ad iram erga hunc et illum ſubito et ſine cauſa, nec-

non

* Vide Hoffmanni Opera, tom. iii. ſect. 1. cap. vi. § iii.

non ad amicitiam pronus *. Nonnunquam riſus intempeſtivi ilia quatiunt, et in animo hilaritas regnat. Sed,

'Quo teneam vultus mutantem Protea modo?'

Riſus et hilaritas repente evaneſcunt, quaſi noctis inſomnium, vel fabula olim auribus inſidis commiſſa. Succedunt frigidae curae, terror mortis, luctus, et triſtitia, quae, cum animo incubuere moeſto, crudelem tyrannidem exercent, conſolatione levari nequeunt, 'lachrymae volvuntur inanes.'

Ex ſymptomatibus enarratis facile credetur, aegri corpus fere ſemper macrum et attenuatum eſſe. Aliquando tamen res ſeſe aliter habet, et hypochondriacus obeſus conſpicitur.

Tale eſt hypochondriacorum ſymptomatum agmen. Sed omnia haec ſymptomata vix uno tempore eundem adoriuntur; horum tamen pauciora, vel plura, ſimul concurrentia, morbum hunc conſtituunt.

Vidimus hunc morbum poſt diarrhoeam, poſt ſputum, et poſt colluviei atrae vomitum, ſubito

miteſcere,

* Vid. Aph. Boerhaav. 119.

miteſcere, et tandem ex toto evaneſcere. An tales evacuationes criticae ſunt habendae?

Ut, quod ad ſymptomatum ſeriem atque gradum, mutabilis hic morbus, ita quod ad diuturnitatem, non minus variat. Aliquos per multos annos, quoſdam per totum longae vitae, miſere contriſtat.

Attamen ſit nobis fas addere, hunc morbum interdum accedentem et decedentem periodos quodammodo obſervare. Ægra hypochondriaca nobis nota eſt, quam morbus per plurimos annos conſtanter, et ſine cauſa evidente, invaſit, decedens nunc citius nunc ſerius, pro intervallo ſano praeunte, ita ut hypochondriaſis, et bona valetudo, ſingulos annos inter ſe partirentur.

D I A G N O S I S.

Varii effectus, varios dolores mentientes, ortum ducunt a malo hypochondriaco, prout hanc vel illam partem corporis aggreditur. Utrum dolores hujuſmodi ſymptomatici tantum ſint, an primarii, medicus ſolertiſſimus, et quaſi δειοτητι praeditus, vix ac ne vix quidem diſcernere poteſt.

poteſt. Tres tamen morbi ſunt, viz. hyſteria, dyſpepſia, et melancholia, quos hypochondriaſis eximie refert; quos igitur ab ea caute diſtinguere nos opportet.

Primo, De hyſteria. Medici multi, tum antiqui, cum recentiores, hyſteriam et hypochondriaſim eundem eſſe morbum, tantum in ſexu diverſo, uno fere animo teſtantur. Hinc, ſine dubio, eas eſſe inter ſe, quod ad multa, ſimiles, colligere fas eſt.

Diverſas itaque notas unicuique imponere, hic labor hoc opus eſt.

Sequentia tamen ſigna hypochondriaſim ab hyſteria magna ex parte dignoſcent, et diagnoſis hujuſmodi admodum videbitur neceſſaria, ſi reputemus, morbos exigere remedia omnino diverſa.

Hyſteria plerumque repente invadit; hypochondriaſis ſemper lente obrepit. Haec raro, illa frequenter ſanari poteſt.

Hypochondriacus animo labaſcit, ingemit, flet, quae quidem in hyſterico perraro obſervantur. Appetitus proſtratus et indigeſtio frequentiſſime quidem in hypochondriaſi, ſed rarius in hyſteria, occurrunt. Pervigilium et inſom-

nia hypochondriacum vexant, ſed nonnunquam alta et gratiſſima quies hyſtericum reficit.

Animi deliquia, ſimilitudinem apoplexiae vel mortis ipſius exhibentia, patiuntur hyſterici, ita ut de his pene conclamatum eſſe ſit creditum. Praeterea, contractionibus convulſivis tentantur. Sed haec omnia hypochondriacis prorſus ignota.

In vera hyſteria, globus, ab imo ventre aſcendens, ſuffocationis ſenſum in faucibus excitat. Regio lumborum frigida eſt, et fixus acutus dolor uni tantum et parvae capitis parti inſidet. In hypochondriaſi, e contrario, haec vel raro vel nunquam, eadem vi, ſeſe oſtendunt. Prior, caloris genialis ſoboles, poſterior quidem frigoris torpidi. Temperamentum melancholicum uni obnoxium eſt, ſanguineum alteri.

Hyſteria in foeminas ſaevit, raro vel nunquam viros adoritur. Hypochondriaſis vero ſexum virilem maxime aggreditur.

Tempus accedendi frequentiſſimum hos morbos quoque diſtinguit. Hyſteria ſaepius annos juveniles miſerrime infeſtat, hypochondriaſis provectiores contriſtat.

Quinetiam, ut poſtea dicetur, methodus medendi in utroque omnino eſt diſſimilis. Calida

temperies

temperies coeli hypochondriaſi prodeſt, hyſteriae nocet. Medicamentis ſtimulantibus gaudet hypochondriaſis, non ita hyſteria. Aſtringentia et frigida lavatio in hyſteria utilia, in hypochondriaſi pernicioſa. Balneum ſaluti eſt hypochondriacis, hyſtericis damno.

D Y S P E P S I A.

Dyſpepſia homines laxiori habitu praeditos, hypochondriaſis vero homines rigidiori, ſaepius invadit. Hypochondriaſis plerumque in temperamento melancholico oritur; ſed dyſpepſia in temperamento ſanguineo. Illa in aetate provectiori ſaepius occurrit, et ut anni labuntur ingraveſcit. Haec in prima aetate ſeſe oſtendit, et in vitae progreſſu haud raro fit levior, nonnunquam ex toto evaneſcit. Dyſpepſia ſaepe affectio ſymptomatica eſt, hypochondriaſis plerumque idiopathica. Prior frequentiſſime, poſterior rarius, occurrit.

Anorexia multo frequentior in dyſpepſia, quam in hypochondriaſi. Alvi durities tamen crebrius in

in hypochondriaſi, quam in dyſpepſia, obſervatur.

Sed magnum diſcrimen inter hos morbos, quidam animi affectus conſtituunt. In hypochondriaſi, timor et moeſtitia ſemper plus minuſve, in dyſpepſia raro vel nunquam, apparent; aliquando tamen languor et timiditas oriuntur.

MELANCHOLIA.

Morbus hic hypochondriaſim ſemper comitatur, cumque eo foedere arctiſſimo conjungitur. Attamen formam ſibi propriam aliquando induit, et ſine ullis ſymptomatibus hypochondriaſis apparet. In hoc caſu, ab hypochondriaſi jure ſecernitur, quum nulla morbida affectio ventriculi adeſt. Nam, durante morbo hypochondriaco, ventriculus et inteſtina multum perturbantur, quae in melancholia vix ac ne vix quidem afficiuntur. Melancholia perſaepe hypochondriaſi viam ſternit, nec raro hujus tragoediae ultimam ſcenam claudit.

CAUSÆ

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Illi morbi merito mentem humanam terroribus maximis implent, qui radicibus altis in conſtitutionem actis haereditaria labe facile propagantur. Uti bonis, quae haereditate deſcendunt, ita quibuſdam morbis parentum liberi ſuccedunt. Certa quadam inexplicabili ſolidarum partium, forſan vaſorum minimorum ſtructura, morbis hiſce paternis mire obnoxii ſunt. Hinc ſeri et inopinantes nepotes, morbis atrociſſimis laceſſiti, vitia parentum immeriti luunt.

Morbi, de quo nunc agitur, talis eſt infauſta indoles. Hypochondriacus enim pater hypochondriacum filium ſaepe gignit.

Haec haereditaria labes quoque omnium cauſarum praediſponentium frequentiſſima eſt.

Temperamentum melancholicum haud raro alia cauſa. Magni eſt momenti hoc accurate deſignare. Sequentibus notis eſt diſtinguendum; vultu nempe ſubfuſco, capillis nigris et criſpis, oculis nigris, cute duriuſcula et aſperiori, arteriis exilibus, venis largiuſculis, alvo fere ad-

ſtricta, habituque ad maciem proclivi. Porro, animi affectus tardi ſunt, attamen excitati, valde difficiles placatu.

Haec ſigna tamen non ſemper mentem melancholicam indicare concedendum, et ſine dubio mentem melancholiae pronam, ſub quavis externa forma latere, fatendum eſt. Sed pro comperto habeo, ſigna praecedentia temperamento melancholico plerumque eſſe conjuncta, maloque hypochondriaco haud raro ſternere viam.

Mens quoque ſuperſtitioni prona aliud eſt atque ferax ſeminium. Haec mentis proclivitas infauſta humanum genus late et atrociter agitat. Noſtris ſaltem in regionibus ſeptentrionalibus, quae ſcopulis aſperis, tempeſtatibus horridis, et torrentibus aquarum nigris deformantur, permulti, ab ipſis incunabilis, prava ſunt imbuti ſuperſtitione. Hic nimis frequenter mens humana, proh dolor! terroribus vanis attonita, Numen ſemper hominibus inimicum fingit, poenaſque ſempiternas horrens pavet, gemit, intremitque. Hoc opus, aliae periculoſae plenum, totam mentem cito occupat, dies atque noctes infeſtat, et ita indolem hypochondriaſi aptam paulatim inducit. Hinc hypochondriaſis in religioſos ſaevit.

Moeror

Moeror et moeſtititia, aliique affectus animi deprimentes, ad hypochondriaſim quoque tendunt. Quibus addere licet, moleſtam illam ſolicitudinem, quae lente, ſed certiſſime, vitalia carpens, facultates tum mentis tum corporis ſubruit, denique in dira caterva malum hypochondriacum adducit.

Sexus virilis minore irritabilitate praeditus, quam alter, et aetas provecta, quae imbecillitate et torpore laborat, merito fortaſſe inter cauſas praediſponentes recenſeri poſſint.

CAUSÆ EXCITANTES.

Inter medicos haud ambigitur, quin temperies coeli multos in corpus humanum edat effectus. Ut Jupiter purus, ſerenus, ſiccus, et aequalis hominibus ſalutem dat, ita nubilus, frigido-humidus et variabilis multorum morborum, et inter alios, hypochondriaſis, infelix parens eſt.

In noſtra igitur inſula, eam rarius in tempore aeſtivo, quam brumali, occurrere experientia docet. Lugubris Novembris in proverbium abiit.

biit. Coelum itaque frigido-humidum, nubilum, et variabile, inter cauſas excitantes hujus morbi praecipuas annumerare decrevimus.

Sed quomodo hic morbus ab aëre naſcitur? Variis quidem modis; ſed hiſce forſitan praecipue.

Aër nimis humidus vaſa extrema debilitat, reſolvit; exinde ſympathia ventriculum eodem malo afficit.

Attamen haec vaſa non ſolum cum ventriculo, ſed etiam cum caeteris omnibus vaſis, quodammodo conſentiunt. Hinc, vaſis extremis aëre affectis, totum ſyſtema vaſculoſum affici poteſt.

Foramina cutis, perſpirationi inſervientia, aëre objiciuntur. Sanctorius ſagax olim monuit, non ſolum bonam valetudinem, ſed hilaritatem animi, a perſpiratione libera multum, hancque a ſtatu aëris omnino, pendere. Aër nimis frigidus perſpirationem minuit, nimis humidus quoque minuit, nimis calidus adauget, et inconſtans perturbat. Hinc multi morbi, et inter alios hypochondriacus, oritur.

Praeterea, nil dubito quin aër in genus nervoſum mentemque directe agat. Coelum enim purum ac ſerenum ſeveritatem mentis humanae mire emollit atque demulcet. Quum ſol ſplendidus

didus fulget, irradiatque terras, gens humana alacris, laeta, lucem benignam laudat. Omne, quod oculus aſpicit, pulchrius, omne, quod auris captat, ſuavius, videtur. Fluvius amoenior labitur, flos pulchrior naſcitur, vultus amici magis animat, et amantis accendit.

Tale coelum alia animalia aeque ac genus humanum delectat. Antea torpida et triſtia adeo excitat et exhilarat, ut omne nemus ſit amoris ac melodiae plenum.

> Hinc avium concentus in agris;
> Et laeti pecudes, et ovantes gutture corvi.

Quum omnis natura ita gaudeat, vel gaudere videatur, cor humanum, vel inſtinctu, vel conſenſu, vel idearum nexu, gaudet et exultat.

Aſt quum ſol jucundus inter atra nubila caput condat, quum coelum pluvioſum et caliginoſum incumbat, omnia lugubria videntur. Animalia pleraque, antea laeta, moeſta et ignava conſpiciuntur. Fluvius, nuper amoenus, nunc pigrior et triſtior labitur. Flos moriens langueſcit, vultus amici parum exhilarat, amantis minus movet. Mens humana, quamvis nullum periculum inſtet, nullum praevideatur, nunc

perſaepe prorſus contriſtatur, interdum gravi moerore ad humum deducitur.

Ita aër in mentem, ſeu genus nervoſum, directe agens, plus minuſve, vel hilaritatem excitat, vel moeſtitiam creat. Moeſtitia tamen mentem ſemper hypochondriaſi aptam reddit.

Alia quidem et creberrima cauſa hypochondriaſis, eſt vita otioſa et ſedentaria. Haec duplici modo nocet.

Imprimis, defectus exercitationis naturalis ſanguinis circuitum languidum et tardum reddit. Nam motus muſcularis ſanguinis motum promovet; et omnibus medicis ſatis innotuit, ſecretionem omnium fluidorum ex gyro ſanguinis omnino pendere. Hoc igitur tardo, illa deficit. Secretione minuta, ſanitas haud diu conſtabit. Denique, circuitu tardo, congeſtiones ſanguineae in vena portarum, hypochondriaſi faventes, haud raro oriuntur.

Secundo, nocet, quod quum viribus moventibus non utimur, brevi tempore, languidae, debiles, vel rigidae fiunt, et pedetentim ventriculus et inteſtina, forſitan per conſenſum, eandem debilitatem vel rigiditatem participant. Torpor inde naſcitur, et hypochondriaſis, eruditorum exitialis peſtis, et philoſophorum

rum hoſtis inexorabilis, haud tardis paſſibus ſequitur. Vita ſedentaria quoque haud parum contriſtat mentem.

Ebrietas frequenter, venus immodica vel praematura aliquando, ad hypochondriaſim proclivitatem creant.

Hypochondriaſis nonnunquam quibuſdam praegreſſis morbis tribui poteſt; melancholiae nempe et nephritidi. Sed inter omnes morbos hujus generis, intermittentes inveteratae et arthritis ſunt fortaſſe principes.

Inanitionem ſeu inopiam humorum corporis naturalium inter cauſas excitantes, auctores vulgo recenſent. Sed opinionem hanc exemplis allatis non probant. Quod ad obſtructiones viſcerum attinet, quas quoque pro cauſis recenſent, eas ſemper effectus morbi, nunquam cauſas, putamus.

Cauſae jam memoratae, praecipuae excitantium hujus morbi nobis videntur. Attamen quomodo, praeeunte proclivitate, multiplex hoc malum inferant, hic plenius diſſerere non noſtrum eſt. Plerumque fortaſſe modus operandi prorſus incognitus, alias conjectura tantum aſſequendus eſt. Sed quaedam mihi perſuadent,

has

has cauſas magna ex parte et ſaepius agere torpidum corpus reddendo.

PROGNOSIS.

Nihil medicum etiam ſolertiſſimum magis fallit, quam morborum prognoſis. Revera, quando medicus ita vates fit, non mirum ſi nonnunquam erret. Attamen in hoc morbo, plerumque, quo infauſtior prognoſis, eo verior. Nam pertinax ſemper et curatu difficillimus eſt.

Quando haereditarius, vel quando a mentis agitationibus violentis et diuturnis, vel a ſtudiis nimis altis et protractis, vel a dira ſuperſtitione, naſcitur, levari forſan, ſed vix ac ne vix quidem ſanari poteſt. Nam, rebus ita ſe habentibus, aliquando citius, aliquando tardius, aut morbos lethales gignit, aut ſuos proprios impetus protrahit et adauget, donec infelix ſuccumbat

Victima nil miſerantis orci.

Quando hypochondriaſis ab alio morbo oritur, plerumque, hoc perdomito, evaneſcit illa. Vel cum

cum ebrietas, vel diaeta nimis lauta, morbo originem praebuit, victus tenuior, exercitatio moderata, cum paucis medicamentis, ſemper auxilio ſunt, nonnunquam malum penitus tollunt.

Quando juvenes adoritur, ſpes domandi; quando ſenes, parva aut nulla.

Dum candor, veritatiſque amor, hoc modo nos concedere coegit, hunc morbum, in pluribus exemplis, potius mitigari, quam omnino tolli poſſe, nonnihil genus humanum, vitae cupidum, conſolari debet, illum potius vexare, quam perdere, ſolitum. Languidus etenim et debilis ſolidorum et circuitus ſtatus, qui hunc morbum comitatur, nos morbis acutis et inflammatoriis minus obnoxios, quam aliter, ſemper reddit.

In ſummum, prognoſis vel fauſta vel infauſta, prout morbi remotae cauſae et ſymptomata vel mitiora vel graviora ſint.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Cauſae proximae, tum in philoſophia, tum in medicina, adhuc inter naturae ſecreta plerumque latent. Terra ſunt illa incognita, quam ratio humana nondum penitus exploravit.

Multi quidem philoſophi et medici magni nominis hanc rem tentarunt. Omnes ſine dubio laude digni: Quia tenus prodire eſt aliquid, quamvis non ultra datur. Sed inter philoſophos, ill. David Hume, et inter medicos cl. G. Cullen, facile palmam arripuerunt: Multa et praeclara fecerunt, quamvis multa et praeclara adhuc facienda.

In hoc tentamine, ad cauſam proximam hujus morbi perſcrutandam, res veras et factas quaſdam proponere in animo eſt.

Apud ethicos auctores conſtat, vita progrediente, mentem humanam multas, ſed lentas, mutationes ſubire.

In pueritia, mens valde irritabilis mobiliſque apparet. Ex cauſis leviſſimis vel dolet vel gaudet,

det, vel iraſcitur vel placatur, et in omnes horas ſibi impar eſt.

In adoleſcentia, mens paulo minus, ſed adhuc irritabilis mobiliſque evadit. Adoleſcens affectibus vividis et vehementibus rapitur, ſubito iraſcitur, ſubito iram ponit. Inconſulte amat, temere odit. Ardens, alacer, ſpeique plenus, ſed omni horae momento, et in omnibus rebus, variabilis ſemper et inconſtans eſt.

In aetate provectiori, quantum ab illo mutatus! Vir ſerius, conſtans, propoſitique tenax eſt. Affectus ejus animi omnes tardiores naſcuntur, ſuſcitati tamen, diu alta mente repoſti manent.

Sed ecce ſenex! Quam difficilis, quam gravis, quam rigidus, quamque torpidus eſt! Quo nunc fugit riſus, quo ſenſus vividus, quove ardor vegetus? Anni abeuntes haec omnia ſurripuere. Sic in humanae vitae curriculo, mentis mobilitas indies minuitur, torporque augetur.

Inter phyſiologos convenit, ſolida animalium, natura ad rigiditatem torporemque tendere. In foetu, pene liquida, in juventute, mollia et laxa, in aetate provectiori, firmiora et ſolidiora, in aetate ſenili, dura et rigida, evadunt.

In tota admirabili machina humana, nihil fortaſſe magis admirandum occurrit, quam illud ſanguinei

ſanguinei circuitus mutatum libramen, quod ad certum vitae ſtadium naturaliter oritur.

Haec opinio clariſſimi Wintringhamii junioris experimentorum ſolido fundamento nititur. Ex iis ſequitur, arterioſam plenitudinem, vita ineunte, ſemper adeſſe: Quia tunc venae et denſiores et robuſtiores quam arteriae, magis actioni cordis renituntur, quo fit ut, ſanguine in arteriis maxime congeſto, hae paullatim evolvantur et creſcant. Sic indies augentur denſitas et robur arteriarum. Sed nunquam venis robore et denſitate ſunt pares, donec ad florem aetatis, vel medium vitae, perventum. Tunc vero ad trutinam aequilibrium eſt.

Attamen, ſaepiſſime, quum triginta quinque annos complevimus, aliquando citius, arteriae, continuis incrementis, denſiores, firmiores, et quam venae robuſtiores, evadunt. Libramen itaque ſanguinei circuitus mutatur, et plenitudo venoſa, ad extremam uſque vitam duratura, ſubinde exoritur.

Talis, in ſtatu ſano, libraminis ſanguinei progreſſus eſt.

At natura in motibus internis, aliquando abnormis, vel aliqua externa vi perturbata, hanc plenitudinem

plenitudinem venoſam, ultra rationem ratam, augere poteſt.

Plenitudo tamen venoſa ſanguinis circuitum languidum reddit: Nam ſanguinis curſus ex arteriis, nimia quantitate accumulata in venis, magnopere impeditur. Circuitus itaque ſanguineus per totum corpus retardabitur, ſpeciatim in vaſis viſcerum abdominalium, ubi ſanguis in ſtatu ſano, propter longum circuitum per jecur faciendum, tarde movet.

At inter languidum circuitum ſanguinis torporemque, ſine dubio, nexus arctiſſimus intereſt. Aliquando, circuitus languidus torporem, aliquando torpor languidum circuitum, efficere videtur.

Obſervatu dignum eſt, quod haec libraminis mutatio fit, eo tempore quum hypochondriaſis frequentiſſime apparet.

Plethora venoſa, quoque, hujus mutationis proles, fere ſemper ſeſe oſtendit, in temperamento melancholico, quod mali hypochondriaci ferax ſolum eſt.

Alvi durities, ructus, cardialgia, inflatio, indigeſtio, anorexia, et id genus ſymptomatum, quorum aliquot fere ſemper hypochondriaſim

comitantur, torpidum ventriculi et inteſtinorum ſtatum haud dubie monſtrant.

Haec quoque hujus morbi inter prima ſunt ſymptomata.

Hypochondriacorum pulſus torporem vaſorum, affectus animi tardiores, torporem generis nervoſi et mentis, indicare videntur.

Ex his omnibus, quid rite colligendum eſt? Num torporem hypochondriaſis proximam eſſe cauſam?

Sed quam anguſta ſcientia humana, et quam raro cauſas rerum nobis oſtendere poteſt! Haec opinio, utcunque veriſimilis, haud ſuis difficultatibus caret.

Ita, ſi torpor hypochondriaſis cauſa proxima fuiſſet, torpore exiſtente, morbus ſemper exiſteret, ſublato, ſemper tolleretur. Horum tamen neutrum verum eſt. Durities enim alvi, ructus, cardialgia, aliaque torporis tubi alimentarii ſigna, aliquando ſine ulla mentis affectione, et affectiones mentis, ſine his torporis ſignis, nonnunquam apparuere.

Motus animi violentiores interdum hypochondriaſim repente gignunt. Sed quomodo talis cauſa effectum adeo ſubitum, per torporem prius inductum, edere poteſt?

Torpor

Torpor phaenomena morbi omnia vix explanare poteſt. Quomodo, e. g. hilaritas hypochondriaca, quae, etſi brevis et rara, interdum tamen occurrit, inde explicabitur? Quomodo ira quoque exponetur?

Haec, aliaque hujuſmodi, cum opinione illa, quae torporem ſtatuit proximam morbi cauſam, vix conſentanea videntur. Sed memoria ſemper tenendum eſt, aliud eſſe opinionem in dubium vocare, aliud eam refellere, et eam veram eſſe poſſe, etſi objectiones validae contra ſtent.

Ad ſummum, ſi quis negare vellet, torporem morbi cauſam eſſe proximam, hoc ſine dubio concedet, torporem ſaltem ſymptoma eſſe praecipuum, ex quo fere omnia caetera ſymptomata ortum ducunt.

Hinc, haec opinio, ſeu admiſſa, ſive non, praxin parum afficiet: Conſilium enim maximi momenti ſemper erit torpori obviam ire, eumque corrigere.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Symptomata primaria tantum nunc exponenda ſunt; omnia enim exponere non opus eſt.

Indigeſtione ſeſe monſtrat.—Motus ventriculi periſtalticus ad digeſtionem promovendam perquam neceſſarius eſt. Sed, in hoc morbo, ſummus fibrarum torpor exiſtit, motus debilis itaque et languidus fit.

Praeterea, humores ventriculi, qui alimenta praecipue ſolvunt, quodammodo a morbo mutatos, et minori quantitate ſecretos eſſe, nobis veriſimillimum videtur. Hinc indigeſtio hypochondriaca.

Appetitus omnino deletus.—Hoc ventriculi torpido ſtatui tribuendum eſt.

Appetitus ſolito avidior.—Ut ventriculus ex torpore variis ſordibus oneratur, inter quas eminent acida et peracris colluvies, haec teneras et ſentientes fibras ventriculi aliquando irritando, appetentiam cibi, praeter ſolitum, facile creare poſſit.

Cardialgia.

Cardialgia.—Haec acidae colluviei, quae ex indigeſtione orta, ventriculum occupat, et irritat, merito tribuenda eſt.

Nauſea frequenter cietur, vomendi niſus, et ipſi vomitus ſuccedunt.—Ventriculus, e torpore ſuo, variis ſordibus opprimitur. Vis naturae medicatrix benigne nauſeam ciet, quae plerumque vomitum excitat, ad onus grave et ſordidum ejiciendum.

Colluvies nigri coloris ejecta.—Huic apud antiquos atrae bilis nomen fuit inditum, et pro cauſa morbi proxima habebatur. Sed effectum eſſe tantum, non cauſam, ratio ſuadet. Haec ejus videtur eſſe ratio. Sanguis, in ramis venae portae, etiam in ſtatu ſano, tarde movetur, at multo tardius, quando torpor hypochondriacus adeſt. Hinc congeſtiones ſanguineae in viſceribus, et inter alia in ventriculo, facile naſcuntur. Sed, impetu ſanguinis hoc obice aucto, vel laceratione vaſorum rubrum ſanguinem portantium, vel dilatatione exhalantium, in cavum ventriculi, vel inteſtinorum, ſanguis effunditur, et ibi ſtagnans, et quodammodo putreſcens, ſpeciem atrae bilis exhibet, quae κατω και ανω ejicitur. In quibuſdam exemplis, bilis ipſa, forſitan ex remora, atrum colorem induens, ejici poteſt.

Spaſmis

Spaſmis et torminibus ventriculus et inteſtina infeſtantur.—Dolores in hypochondriis ad latus et dorſum lancinantes, &c.——Ut tubus totus alimentarius torpore laborat, motus periſtalticus minuitur, imo, ut veriſimile eſt, nonnihil invertitur. Faeces igitur, in tubo diutius ſolito detentae, acres deveniunt, tubumque adeo irritant, ut ſpaſmi in diverſis partibus oriantur, praecipue in iis quae ſub hypochondriis ſunt. Quia ad caput coli in dextro, vel ad ejuſdem flexuram magnam in ſiniſtro hypochondrio, flatus et faeces maxime retardantur. Flatus ita detentus diſtentionem producere poſſit, et fibrae renitentes diſtrahentur. Hinc dolores acerbiſſimi, et ſpaſmi pertinaces, in omni fere parte tubi inteſtinalis, ſpeciatim in ea quae in hypochondriaca regione ſita eſt, neceſſarie orientur.

Saepius alvi durities—Ductus alimentarii conditio torpida curſum ingeſtorum magnopere retardat. Abſorptio partium liquidarum permagna inſequitur. Caeterae partes, magis ſiccae et induratae, tardiores ſolito ad anum propelluntur. Hinc alvi tarditas naſcitur.

Glandulae oris et muci liquores ſuos effundunt.—Glandulas ſalivae et muci oris ventriculi conditione affici, ex hoc apparet, quod eo viſcere

naufea

nauſea laborante, hae ſua vice liquorum ſuorum quantitatem inuſitatam et ſecernunt et effundunt. Haec glandularum affectio itaque a conditione ventriculi quodammodo pendet. Ut in hoc morbo, igitur, ventriculus perſaepe magnopere ſtimulatur, non mirum quidem, ſi glandulae quoque ſtimulatae (fortaſſe conſenſu) liquores ſuos effundunt.

Cor ipſum tremit, &c.—Quando palpitationes cordis, impetui cuidem, qui in ſtatu ſano frequenter cauſa eſt, non attribui poſſunt, huic praecipue attribuendae ſunt, nempe, majori ſanguinis quantitati in auriculis cumulatae, quam cor, propter torporem, una ſyſtole ejicere poſſit. Obſtructio aliquatenus ſequitur, quae originem palpitationi praebet.

Pulſus ſaepius tardus.—Ex torpore generali oritur.

Æger moeſtus anhelitu, reſpiratione laborioſa opprimitur.—Diſtentio immodica ventriculi et inteſtinorum, a flatibus orta, facilem diaphragmatis deſcenſum impediendo, difficilem hanc et laborioſam reſpirationem creat.

Primis viis, contractionibus ſpaſmodicis tentatis, ſecundum legem ſympathiae miram, hi ſpaſmi

ſpaſmi ad pulmonum veſiculas propagantur, has corripiunt, et anhelitum producunt.

Inſomnis agit noctes, aut imaginatio errans fictis ludit imaginibus.—Nullam ratam theoriam de ſomno et vigilia aut medici aut philoſophi adhuc excogitarunt. De his ſymptomatibus igitur prolixe diſceptare nolumus. Sat erit nobis hic notare, quod, ut doloris abſentia, placida quies, et animi tranquillitas, ad dormiendum, ita his contraria, quae in hypochondriaſi occurrunt, ad vigilandum ducunt.

Quod ad ſomnia quae ſolicitant et angunt, comprobatum eſt, horum naturam, ex magna parte, e cogitationibus diurnis pendere, et hinc colores, ſimilitudines, et formas ducere. Quum cogitationes jucundae ſunt, ſomnia jucunda, et quum triſtes, triſtia. Sed hypochondriaſi invadente, mens contriſtatur, et anxiis et moeſtis cogitationibus oppletur. Hinc ſomnia lugubria, et vanis imaginationibus perturbata.

Succedunt frigidae curae, terror mortis, luctus, et triſtitia.—Hae mentis affectiones ſunt. Sed quomodo certae variationes corporis, ſeu cauſae in illo operantes, certas affectiones mentis excitare poſſunt, et vice verſa, adhuc parum cognitum eſt; quia a generis nervoſi natura, et a nexu mentis

mentis corporiſque mirifico, omnino pendere videtur. At generis nervoſi intima natura latet adhuc, et diu, vereor, latebit; et nexus inter corpus mentemque ſtabilitus denſiſſimis tenebris obtegitur. Abſit igitur a nobis, hoc ſaltem in loco, procul abſit, vanus ille et inutilis conatus, has quidem

Pandere res alta terra et caligine merſas.

PROPHYLAXIS.

Morbum hunc, ſemper curatu difficillimum, non raro immedicabilem, eſſe, jam monuimus; ideoque, acceſſus ejus ſubdolus caute eſt evitandus, et prophylaxis quae tutelam et clypeum praebet, res magni ponderis non eſſe non poteſt. Quemadmodum, igitur, ſanos agere conveniat, ut hypochondriaſim evitent, nunc dicere conabimur.

Ut cauſae excitantes et praediſponentes omnigenos morbos creant, in limine obſervare vellemus, cauſas excitantes omnes ſedulo evitare, et praediſponentes, quantum fieri poteſt, corrigere, perutilem eſſe regulam generalem.

 Haere-

Haereditaria labes haud noſtro arbitrio ſubjicitur; namque inſcios, invitos, ab ipſis incunabilis afficit. Tale etenim infauſtum patrimonium, tale inauſpicatum donum, non rejicere poſſumus. Attamen, quod poſſumus, faciamus. Caris ſaltem noſtris liberis, innocuis noſtris nepotibus, ſaluti conſulamus; connubia nunquam jungendo cum familiis hac labe inquinatis: Nam revera, non domus, non fundus, non auri acervus, damnum tale irreparabile unquam compenſare poteſt.

Sed etiam, cum labis hereditariae conſcii ſumus, metuendum et cavendum, non tamen deſperandum eſſe, putamus. Prudens enim ac conſtans regimen ipſam labem tam innocuam efficiat, ut per longam vitam morbum non excitare potuerit. Nec exempla quaedam memorabilia deſunt, ubi ſcilicet homines, huic et aliis diris morbis a parentibus obnoxii, ſola temperantia intacti evaſerunt.

Cum nulla inſita ſit labes, res non adeo in anguſtiis verſatur; et cautelae ſequentes morbum plerumque arcebunt.

Coelum ſiccum, ſerenum, aequale ſeligendum. Aër humidus, vel nimis calidus, debilitat, reſolvit; ideoque nocivus ſit, nec minus, etſi

aliter

aliter aër nimis frigidus nocet. At omnium pernicioſiſſimum eſt coelum varium et mutabile, quale in Britannia ſemet ſaepius oſtendit. Ibi enim, quatuor anni tempeſtates perſaepe una die confunduntur, tranſituſque ab una ad alteram adeo repentinus eſt, ut frigida calidis, et humida ſiccis, pugnare videantur.

Homo revera vivere et valere poteſt ſub omni coelo. Benignitate quadam naturae ille conſtitutione, omnibus extremis, ſed non ſubitis mutationibus, apta gaudet. Hae enim mutationes motus fluidorum aequabiles perturbant, foramina cutis inviſibilia, et perſpirationi inſervientia, nunc nimis conſtringunt, nunc nimis reſolvunt, imo, in ipſum genus nervoſum directe et hoſtiliter agunt.

Quid igitur faciet moeſtus Britannus? Coelum mutet, et animum mutabit. Sed, ſi natalis ſoli dulcedine captus ſit, vel ſi res anguſta domi vetuerit, induſio laneo ſemper induatur, nec non ſequentes cautelas obſervet.

Diaeta ſit tenuis, quippe quae concoctionem minime impediat; nimis parca tamen, quippe parum corpus nutritura, effugiatur.

Multa vegetabilia, quippe flatum et aciditatem gignentia, non ſumenda. Lac ipſum, aliis ſalubre,

bre, quando aciditas ventriculo ineſt, non eligendum. Caro tamen non nimis pinguis pro cibo praecipuo eſt quaerenda. Quae ſalita et condita ea optima eſt, quia minus aceſcit, fortius ventriculum ſtimulat, et facilius concoquitur.

Varii tamen cibi tunc fiunt maxime ſalutiferi, quando ita inter ſeſe miſcentur, ut alii alios corrigant et adjuvent. Ut hanc rem aſſequamur, ad habitus et conſtitutiones ſingulorum cautiſſime reſpiciamus oportet. Homines enim, et vi conſuetudinis et naturae, admodum diſſimiles ſunt.

Cibus frequenter in die potius quam magna copia ſimul ſumendus eſt.

Ut ventriculus, nobis recumbentibus, onere alimentorum facilius opprimitur, et ut concoctio ciborum tardius progreditur, inter dormiendum, quam inter vigilandam, coena vel nulla, vel perexigua, eſſe debet. Sed in rebus modus eſt. Nimia enim abſtinentia, nos quoque hypochondriaſi opportunos reddit.

Potus nec frigidus, nec calidus ſit. Profunt vinum meracum, cereviſia Anglice dicta Porter, et ſpiritus vini multa aqua dilutus. Thea et coffaea, quamvis dyſpepſiae obſunt, hic, niſi nimis

nimis calidae, non prohibendae; caute tamen et moderate ſumendae ſunt.

Ebrietas cane et angue pejor, quamvis primo exhilaret, mox debilitat, contriſtat, frangit. A poculis tamen modicis non abſtinendum. Salutaria, grata, jucunda, curas ſolvunt, dolores leniunt, ſpes eſſe ratas jubent, et animum hilarem reddunt.

An almae Veneris grata dona ſunt reſpuenda? Verbis Celſi * utar: 'Concubitus neque nimis 'concupiſcendus, neque nimis pertimeſcendus 'eſt. Rarus corpus excitat, frequens ſolvit. 'Cum autem frequens, non numero ſit, ſed na'tura ratione aetatis et corporis; ſcire licet 'eum non inutilem eſſe quem corporis neque 'languor, neque dolor, ſequitur. Idem inter'diu pejor, tutior noctu; ita tamen ſi neque 'illum cibus, neque hunc cum vigilia labor, ſta'tim ſequitur.' Aretaeus †, de hoc morbo loquens, olim obſervavit, 'Quendam inſanabili'ter ſe habentem, medicis nihil proficientibus, 'potitum amata puella, ab amore medico ſana'tum fuiſſe.' Sed quod morbum ſanare poteſt, ad

* Celſi Op. Lib. i. C. 1. p. 16.

† Aret. De Cauſis et ſignis Morb. L. i. C. v. p. xxx.

ad arcendum in quibuſdam conſtitutionibus haud abſonum eſt. Nec mirum; nam, ut nil animum magis deprimit obruitque, ac amor fruſtratus, ita amor felix mire excitat, exhilaratque. Amor, homini naturalis, ſpem placidam, cupidinem ſuavem, voluptateſque ſecum affert. Cohibitus igitur, vel repulſus, animus triſtis ſemper, ſeverus ſaepe, inſanus interdum, evadit. Hinc, apud virgines effoetas, monachoſque amplexus foemineos fugientes, hypochondriaſis frequens eſt.

Etſi tamen Venus modica ad hypochondriaſim prohibendam neceſſaria ſit, immodica, ut antea dictum, ſemper proclivitatem ad eam adauget. Hinc, vagus concubitus, quippe non ſolum civi, ſed etiam ſingulorum ſaluti nocivus, quia ad Venerem juſto frequentiorem allicit, caute prohibendus eſt.

Somnus ac vigilia, nimis diuturna, aeque ſunt periculoſa. Haec corpus mire debile ac irritabile, ille torpidum ac ignavum reddit. Cito cubet igitur, citoque ſurgat, qui bene valere velit.

Alvus quotidie exoneranda eſt, vel ſponte vel arte.

Ad

Ad modum vivendi, qui nos contra hypochondriaſim optime tuebitur, nunc tranſeundum. Quomodo nobis vitam agere oportet, malum ut hypochondriacum vitetur? Vita otioſa, quippe ad languorem et taedium ducens, minime antehabenda aſperae, nec negotiorum, nec periculorum experti; haec enim animum excitant, agitant, pleneque occupant.

Qui ſemper cupiunt, ſperant, aliquidve quaerunt, ii huic malo minime ſunt obnoxii.

Res graves, tamen, difficiles, vel periculoſae, quippe animum, parum firmum, ultra vires intendentes, eum plerumque fatigant et deprimunt; ideo ad eas caute eſt adeundum.

Otium interea ſedulo aufugiatur; nil enim vel proclivitatem, vel morbum ipſum, citius aut certius infert. Cur, quaeſo, hypochondriaſis, humili tugurio praeterito, ſub tecto aurato habitat? Quia, ſcilicet, dum ignavia atque deſidia vires tum animi, tum corporis, corrumpunt, franguntque, dum divitiae abundantes, laborem, cupidinem, imo ſpem ipſam, ſupervacanea reddunt; mens divitis inanibus curis ac aerumnis oppletur.

Hypochondriaſis raro durum agricolam, rariuſque militem, inter labores atque pericula verſantem,

ſantem, aggreditur. Hi enim adeo agitantur, ut haec proles luxuriae ac mollitiei, procul auſugeat. Deſidia itaque, improba Syren, quae, vocem vultumque voluptatis ſimulans, incautos allicit, allectoſque in hypochondriaſim praecipitat, magnopere evitetur.

Si mens ſit rebus ſeveris vel difficilibus parum apta, labor nugarum, ſeu ludere par impar, ſive equitare in arundine longo, ſive, divinum Africanum imitantes, lapides per aquam projicere, aliter inutilia, ignaviae antehabeatur.

Cum ſtudiis incumbentes hypochondriaſi maxime ſunt obnoxii, contra ejus incurſum caveant opportet.

Stent ſaepe, vel, quantum fieri poteſt, corpore erecto ſedeant, et frequenter ſe exerceant. Ea exercitatio quae ſub dio, quae totum corpus, praeſertim partes ſuperiores, movet, ad lenem ſudorem tantum et laſſitudinem, non tamen ad fatigationem protracta, praeſtantiſſima.

Quo magis mentem occupat, eo quoque melior; hinc equitatio ambulationi, hinc equus animoſior quieto, plerumque praeſtat. Ita enim, dum corpus magis exercetur, animus a ſuis aerumnis, ſeu fictis ſeu veris, avocatur. Quantum

tum hoc quoque valeat, in hypochondriaſi depellenda, poſtea dicetur.

Obſervare liceat, exercitationem in rheda vel navi, niſi apertae ſint, et ni aeger fiat auriga vel remex, etſi alias efficaciſſimam, hic minus prodeſſe.

Hactenus de corpore praecipue dictum, nunc de mente dicendum.

Ut graves et deprimentes animi affectus hypochondriaſim haud raro gignunt, hi domentur opportet. Sed, heu! nullis herbis, nulla medicina, domari poſſunt. Ad alia, igitur, decurrendum. Judicium, ſcilicet, argumentis et ratiociniis perſuadendum eſt, et imaginatio corrigenda. Hoc conſilio, vir hypochondriaſi pronus, quamprimum ſolitudinem effugiat, coetus jucundos hominum petat, et affectiones omnes benigniſſimas, et humano generi amiciſſimas, ſedulo colat.

Artes elegantes, et literas humaniores, diſcat. Modo pöeſis, modo pictura, delectet. Aliquando hiſtoria, quae vera et grandia narrat, aliquando fabula, quae ficta et jucunda dicit, illum ſe, ſuaſque curas atras, oblviſci cogat. Interdum etiam philoſophiae ſacros fontes adeat, ut inde hauriat conſolationes plenas.

Sed non omnia poſſunt omnes. Si ſors igitur iniqua, vel mens parum apta, hominem a rebus hujuſmodi prohibeat, tunc venetur, piſcetur, ludat, theatrum frequentet, nec non arte muſica, quae mentem humanam tangit, fruatur. Quod ad hanc tamen, cura eſt opus. Etſi enim muſae amoenae mentem audientis tacita dulcedine ſaepe implent, curaſque triſti de pectore fugant, haud raro flebiles factae cor moeſtitia jucunda obruunt. Hoc cavendum ſemper, cum vir hypochondriaſi pronus ad muſicen adeat. Qualiſcunque tamen ſit muſice, ſeu laeta, ſive moeſta, ne aurem fatiget ſemper caveatur. Cui auris ſolers eſt, is quidem cito fatigatur. Cantus igitur ſit frequens, non diuturnus, luſuſque ſemper luſui cedat; ſic verba ill. Swieten, qui ita loquitur, haud eſſe falſa experietur. "Inter "luſus jocoſque amoenae fluunt horae, nec an-"xia de futuris ſolicitudo vexat *."

Attamen, quodcunque agitur, ubicunque locorum ſit, homini, hoc triſte malum cavere cupienti, praecipua ſit cura, quantum fieri poſſit, hilaritatem ſui animi diligenter excolere, et perpetuo conſervare. Hoc ſit opus, hoc ſtudium.

Riſus

* Swieten Com. tom. 3. p. 506.

Riſus jocoſque amet. Rebus in adverſis, fortis, animoſus, humanae ſortis voluptates, caducas licet et fragiles, alacer ſed cautus arripiat, quando aufugiant, meliores ſperet.

Socios ſibi adſciſcat hilares, felices; et triſtes et lugubres ſemper aufugiat.

Denique, Poetae, qui omnium fortaſſe antiquorum artem et recte et feliciter vivendi optime novit, conſilio ſapiente utatur. Sic vixit Horatius, et ſic cantabat,

Quid ſit futurum cras, fuge quaerere, et
Quem ſors dierum cunque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores,
Sperne, puer, neque tu choraeas.

Donec virenti canities abeſt
Moroſa, nunc et campus et areae
Leneſque ſub noctem ſuſurri,
Compoſita repetantur hora.

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae riſus ab angulo,
Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

METHODUS

METHODUS MEDENDI.

Ut hypochondriaſis aliquando lethalis eſt, ut aegrum ſemper infelicem, et nonnunquam miſerrimum, reddit, ſine dubio, medela ejus res magni ponderis ſemper haberi debet. Conſilia medendi ſunt ſequentia.

1. Cauſas praediſponentes amovere, excitantes evitare.

2. Symptomata graviora mitigare, vel tollere.

Primum conſilium eſſe perquam neceſſarium abunde conſtat; hic enim, ut in omnibus morbis, nullum remedium erit efficax, dum cauſae morbi agunt. In limine tamen obſervandum eſt, quaedam e ſeminiis eſſe talia, qualia nulla ars amovere poſſit. Hujuſmodi ſunt temperamentum melancholicum, aetas ſenilis, et fortaſſis haereditaria labes.

Hae cauſae cognitae, quo minus noſmetipſos irrita expectatione fallamus, aegroſque inani ſpe lactemus, ſaltem efficient.

Animi motus diuturni, ſeu vehementes, moeror gravis, amor ſui nimius, ſolicitudo angens, aliaeque

aliaeque id genus praediſponentes cauſae, monitis philoſophiae vix omnino, ſed melius quam medicinae, corriguntur.

Cauſas excitantes plurimas quod attinet: Hae cognitu perquam neceſſariae ſunt, et, accurate cognitae, curam multum promovent. Sic, ſi vitae ſedentariae deſidia ortum morbo dederit, aeger ſedulo excitandus eſt. Exercitium ac negotia mandanda ſunt, quae ad morbum removendum plurimum conferre queant.

Si una idea, diu menti obverſata, ſi ſtudia nimis protracta, morbum excitaverint, alia idea quamprimum inducenda eſt, ſtudia omittenda, ſeria jocis, ſobria ludicris, miſcenda ſunt, menſque tota nugis atque ludis relaxanda eſt.

Quando alii morbi, uti dyſpepſia, arthritis, nephritis, melancholia, hypochondriaſim excitaverint, remedia non ad hanc, ſed ad morbos primarios, ſunt dirigenda. His enim perdomitis, ſymptomata hypochondriaca ſemper mitiora redduntur, nonnunquam ex toto evaneſcunt.

Ita, cauſas remotas cognoſcere, minuere, vel amovere, res magni momenti eſſe, et ad morbum curandum plurimum valere, nobis haud dubium videtur. Prout enim cauſae variant,

remedia

remedia varia, imo plane diverſa, adminiſtrari debent.

2. Symptomata graviora mitigare vel tollere.

Torporem vel morbi eſſe cauſam proximam, vel ſaltem ſymptoma praecipuum, et aliorum multorum foecundum parentem, antea notavimus. Hinc multum intereſt, torpori obviam ire, eumque corrigere.

Huic conſilio, nil melius ac exercitium reſpondet. Nullus quidem exercendi modus eſt temnendus; aeger enim vel ambulare, vel vehi curru, aut navi, licet; ſed equitatio, ut antea in prophylaxi monuimus, praeſtantiſſima.

Ad torporem minuendum, nil fere plus quam balneum confert *. Hoc igitur, etſi caute, ſemper tamen, et diu, praecipiendum eſt.

Frictio quoque corporis haud inutilis.

Philoſophi recentiores, experimentis ducti, multa de electricitate nuper in lucem edidere. Attamen natura ejus adhuc parum eſt comperta. Hanc vero, ut remedium, in quibuſdam exemplis hypochondriacorum, felici cum eventu nuper adhibuimus.

Stat

* Multa appoſita exempla balnei utilitatis, in hoc morbo, cl. And. Duncan, M. D. in ſuis praelectionibus eruditis, protulit.

Stat ſententia, alia experimenta quamprimum inſtituere.

De modo ejus operandi, in hoc morbo, nihil pro certo affirmare audemus. Eam tamen ſanguinis languidum circuitum accelerare, et torporem hypochondriacum minuere, nobis veriſimillimum videtur.

Symptomata illa, quae in primis viis ſedem habent, nempe anorexia, cruditas, flatus, borborygmi, cardialgia, eructationes acidae, nauſea, vomitus, et durities alvi, plerumque ſunt inter prima hypochondriaſis ſymptomata. Ea admodum moleſta auxilium cito poſcunt. Vixque ullum aliud auxilium praeſentius adeſt, quam primarum viarum lenis evacuatio. Hoc fit, ut omnibus notum eſt, emeticorum et catharticorum ope.

Emeticorum optimum forſan eſt ſinapi, ſaltem ſi aeger aquam tepidam bibere poteſt. Chamaemelum quoque, ipecacuanha, nec non tartarus emeticus, conveniunt.

Inter cathartica, elixir ſacrum, vel aloetica alia, et tartarus ſolubilis, jure laudantur.

Si poſt has evacuationes lenes et cautas, ructus et cardialgia adhuc remanſerint, magneſia

alba,

alba, quae, dum aciditatem corrigit, leniter alvum ducit, aliis abſorbentibus potior videtur.

Ne alvi durities revertatur cavendum eſt diaeta idonea: Si haec tamen parum profecerit, obviam eſt eundum regulari et conſtanti uſu laxantium aloeticorum, olei ricini, vel clyſmatum emollientium, prout animus et temperamentum aegri volent.

Quando flatus et borborygmi evacuationi antea propoſitae non cedunt, ſpiritus aetherius, vel aqua ment. pip. proderit.

Anorexia ac cruditas acido vitriolico levari poſſunt.

Si nauſea et vomitus a ſaburra, ventriculum et inteſtina opprimente, oriantur, evacuatione jam memorata auferentur.

Dolores hypochondriacorum acerbi, et inteſtinorum ſpaſmi moleſti, ab acribus humoribus tubum alimentarium infeſtantibus orientes, perſaepe emeticis et catharticis lenibus, vel magneſia jam praeſcripta, ſopientur. Si non, anodynis et antiſpaſmodicis, illis obviam eſt eundum.

Anodyna ſuum effectum edere videntur ſenſibilitatem nervorum partis, cui directe applicantur, minuendo, et hic effectus, legibus ſympathiae,

pathiae, per totum genus nervoſum, diffunditur.

Inter anodyna, opium praeſtantiſſimum eſt; ſed caute, et poſt debitas evacuationes, exhiberi oportet. Tunc plerumque magno auxilio eſt. Hoc olim ſagax Sydenhamus * invenit, et teſtatur, "Se hoc ſolo medicamento acerbos "dolores, vomitus, et diarrhoeas, &c. a ſpi- "rituum perturbato motu ortos, compeſcu- "iſſe."

Antiſpaſmodica remedia nondum ſatis explorata ſunt. Quae ita nominantur, ea nunc, nervos ventriculi ſtimulando, nunc irritationem morbidam amovendo, ſpaſmum ſolvere videntur. Ad hanc claſſem, moſchus, caſtoreum, camphora, et gummi foetida, pertinent.

Moſchus haud parvis antiſpaſmodicis dotibus gaudet. Minorem quam opium vel caetera antiſpaſmodica, ut videtur, calorem excitat; et exinde, quum caetera vel inutilia vel pernicioſa fiunt, hic feliciter adminiſtrari poteſt.

Ad ſpaſmos ſolvendos quoque balneum, ſemicupium, pediluvium, fomentationes, clyſmata emollientia, utilia ſunt. Haec omnia, partes

 quibus

* Vide Diſſert. Epiſ. p. 50.

quibus adhibentur relaxando, aliarum partium ſpaſmum quoque ſolvunt. Exempla hujuſmodi ſaepiſſime videre eſt. Ad cohibendum pallidae urinae fluxum opiata proſunt.

Cum obſtructiones, vel humor tenax, pulmonem opprimant, poſt attenuantia et evacuantia diligenter adhibita, opium tuſſim et dyſpnoeam nonnihil levabit.

Vigilia moleſta opio libere dato ſublevabitur. Quod ad opium tamen, toties laudatum, ne alvum duriorem reddat, et ne torporem creet vel adaugeat, omnimodis cavendum.

Hyoſcyamus, qui vi ſedativa gaudet, et alvum non aſtringit, opio, fortaſſis, nonnunquam anteferendus eſt.

Cum debilitas nunquam ſymptoma, et perraro ſequela, hujus morbi eſſe videtur, nec corticem Peruvianum, nec frigidam lavationem, quae vulgo praeſcribuntur, inter remedia enumeravimus. Haec ſemper inutilia, nonnunquam pernicioſa duximus. Quantum chalybeata toties celebrata ſpectat, haec interdum profuiſſe videntur. Sed parvula illa chalybis quantitas, quae aquis ineſt, hunc effectum ſalutarem edere non poteſt *. Exercitio,

* Cullenus noſter celeberrimus tom. tertium Prim. Lin. Prax. nuper edidit. In brevi capitulo hypochondriaſim

ercitio, ludis, aliiſque locorum ubi aquae bibuntur propriis, jure potius tribuendum eſt.

Regimen animi, in hoc morbo, longe difficillima pars praxis eſt. Quomodo enim hypochondriacorum pathematum dira cohors debellanda eſt? Quis illam angentem ſolicitudinem leniet? Quis timorem mali nunquam venturi amovebit? Quiſve moerorem ſine cauſa gravem demulcere poterit? Hic artem Apollineam aliquantum deficere invite fatemur.

Sed ars illa multum, quamvis non omnia, facere poteſt: Nam, ut animus corpuſque arctiſſimis, etſi incognitis, vinculis inter ſe conjunguntur, et quicquid hoc afficit, illam certe afficiet, ars noſtra animum ipſum quodammodo attingere poterit.

Cum affectus animi a cauſis corporeis oriantur, et hae cauſae arte medica mutari vel tolli queant, ſine dubio, effectus earum corporeis remediis quodammodo mutari vel tolli poſſunt. Primis ſymptomatibus hypochondriacis igitur

aſim tractavit. Ad naturam tamen morbi elucidandam, me judice, plus contulit, quam caeteri auctores omnes, a temporibus Hippocraticis ad hunc uſque diem.

igitur mitigatis, vel ſanatis, pathemata hypochondriaca moleſta, gradatim cedentia, omnino evaneſcent.

Attamen, praeter medicamenta, ſagacis eſt medici remedia, animo propria et idonea, e philoſophia petita, adhibere.

Ingenia aegri ſtudeat, et huic ſeſe ſedulo accommodet. Querelas ejus omnes, licet vanas, arrectis auribus audiat. Timores, licet inanes, non negligat. Hallucinationes de ſua valetudine abſurdiſſimas reſpiciat, vel reſpicere videatur. Ratiocinetur interdum, nunquam derideat, nec, niſi leviter, objurget.

Non ſubito ſed caute, non vi ſed ſubdole, eum a ſe ſuiſque curis atris divertat. Revera, ſi decipi poſſit aeger, decipiatur: Nam hoc, ſi unquam, fraus pia eſt habenda.

Ut una idea, vel potius una idearum ſeries, animum angit et obruit, has ideas pellere, et alias excitare, maxime quidem intereſt.

Ad hanc rem perficiendam, verba et voces aliquid conferre queunt. Sed ludi, qui ſine agitatione excitant, et negotia, quae ſine ſolicitudine vel fatigatione animum plene occupant, multo magis valent.

His

His parum proficientibus, aeger iter longum et varium ſuſcipere debet, ubi res lugubres, negotia ſeria, et loca ſolita, a tergo relinquantur; et ubi nova et amoena rerum facies animo perpetuo obverſetur.

Haec loci mutatio, haec rerum facies ſemper nova, eundem quodammodo effectum brevi in animo edit, ac alias tempus diuturnum. Ut hoc mortalium dolorum omnium tandem dulce eſt lenimen, ita illa multas ingratas ideas paullatim delet: Nam quod oculis non aſpicimus, minus animum trahit, vix contriſtat, raro diu angit; dum res illae novae et variae, quas intuemur, animum ſemper fortius occupat.

Iter non modo longum, et ſemper varium, ſed ad aliud coelum, ſuſcipiendum eſt. Multum fert ſecum commodi coeli mutatio illis qui pathematibus hypochondriacis laborant. Coelum purum et calidum non tantum medicamentis auxilio, ſed et omnibus anteferendum eſt.

Sed, cum de coeli mutatione jam in prophylaxi diximus, pluribus verbis hic non eſt opus. Gregorianam opinionem, tantam ad meam ipſam ſtabiliendam, nunc proferam. De hypochondriaſi

chondriaſi loquens, inquit, 'Quum autem hic 'morbus animum maxime afficit, et ex eo e-'tiam ſaepe originem ducit, ſatis patet, coelum 'temperatum et jucundum, et quidem ipſam 'loci mutationem, aegro utiliſſimum fore. Coe-'lum paterno pulchrius, mores feſtiviores, et 'ſcenae novae et amoenae, mentem grate occu-'pant, et imaginationi ſuaviſſime detinent. Qui-'bus modis etiam, ubi morbus ab animo mini-'me incipiebat, aegrum per ſympathiam inter a-'nimum et viſcera abdominalia, magnum leva-'men ſentire conſtat *.'

Denique, jam finem impoſituro, ſit mihi fas notare, quod regulae generales, ad omnia exempla, et cautelae ad omnes caſus accommodatae, vix depromi poſſunt. Poſt tamen omnes regulas et cautelas, quae excogitari vel tradi poſſunt, multum a prudentia medici ſemper pendebit. Si ſit prudentia, regulae et cautelae vix

* Diſſ. Inaug. de Morbis Coeli Mutatione medendis, p. 60. Qui effectus coeli mutationis, in hoc et aliis morbis medendis, verbis nitidiſſimis illuſtratos, ratiociniis validiſſimis confirmatos, et lucido ordine inſtructos, videre cupit, is hanc diſſertationem conſulat.

vix aberunt. Si non, vel omnino aberunt, vel parum proficient. Medicuſque ille, qui hypochondriacum animum tractare audet, non tantum peritia ſuae artis, ſed etiam prudentia et ſagacitate, antecellere debet.

F I N I S.

E R R A T A.

Page 3. l. 13. pro noſciva lege nociva
5. 16. pro oblata lege oblatas
14. 22. pro aliae lege aleae
16. 14. pro aëre lege aëri
31. 10. pro cuidem lege cuidam
34. 7. dele ſaluti
36. 19. pro vigilandam lege vigilandum
40. 9. pro longo lege longa
52. 16. pro hoc lege hic
53. 23. pro tantam lege tantum
54. 8. pro imaginationi lege imaginationem

DISSERTATIO

DE

VITA ANIMALI.

VIRO EXIMIO

JOANNI STEWART M. D.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.

NEC NON

SOCIET. NAT. STUDIOSOR. EDIN. SOC. RESP.

APUD SOUTHAMPTONIAE INCOLAS,

MEDICINAM FELICITER ET AUSPICATO FACIENTI:

PROBATISSIMO ARTE SUA EXCOLENDA ET PERITISSIMO:

QU OALIUM,

PROBITATE AMICITIA MORUMQUE COMITATE

INSIGNIOREM,

RARO INVENIES:

OB

ACUMEN INGENII,

QUOD EI NATURA TRIBUTUM EST,

OB

DOCTRINAM EJUS AMPLAM,

OB DENIQUE

SUMMAM VITAE INTEGRITATEM,

ET QUIA

VIRUM MELIOREM

ALIUM NESCIIT

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

VIRO ILLUSTRI

GULIELMO FRASER M. D.

APUD BATHONIAM:

LITERIS IMBUTO HUMANIORIBUS:

PERITISSIMO MEDICO ET SPECTATISSIMO:

BONIS ARTIBUS

EXCULTO:

NULLA VIRTUTE

NON ORNATO:

OB

INGENIUM ACUTUM,

ET

EGREGIAS ET PRAESTANTES ANIMI DOTES,

SUMMO, ET EO, QUO PAR EST, STUDIO,

HOCCE, QUALECUNQUE SIT,

TENTAMEN INAUGURALE

D. D. Cq.

ANDREAS CRAWFORD.

Mr John Macauther
with the best complements
and best wishes of his most
sincere friend and humble ser
The author

DISSERTATIO

DE

VITA ANIMALI.

PROOEMIUM.

N omnibus de cauſis rerum diſquiſitionibus, ſumma
. philoſophorum diſſentione, certatur, quinam debe-
eſſe ultimus finis, quòve omnia nobis ultime referen-
ſint. Sunt qui, omnia, a principio, Summo Numine
ta fuiſſe et conſtituta, et, non ſine mente ejus et rati-
e praeſente, totum mundum moveri, conſervari et ad-
niſtrari, cenſent. Alii ſunt vero philoſophi, et hi qui-
m nobiles, qui putant, Deum, ab omni curatione re-
m et adminiſtratione, vacare. Illi, omnia, quotquot
xerit natura, ſtatim ad operationem Numinis eſſe re-
renda exiſtimant: hi autem, ad leges generales pri-
itus rite conſtitutas et ſapienter, fatoque immutabili
bilitas, quaecunque ante oculos verſentur, relegare
lunt. Hac re non dijudicata, ut homines in ſummo
rore, et rerum ignoratione maximarum, verſentur,

quamvis neceſſe eſt; parvuli tamen eſt momenti, ſi ad rationem cognitionis, rerumque ſcientiae promovendae, ſolum ſpectes, utrum noſtra, hac de re, ſententia vera ſit, necne. Quo una harum opinionum, quam altera, alicujus ingenio ſit accommodatior, eo ad verum propius accedere videbitur; in ſcientiam vero promovendo, pari vi, pari auctoritate, plane pollent. Quod hoc certius confirmat, eſt; quod omne, quod natura clariore exhibuit luce, ſeu quod velatum, et ingenium quaſi fugiens humanum, recondidit; uni harum aut alteri originum, ultimae velut cauſae, plane, recte, et facile tribuendum eſt.

Eſt, procul dubio, phyſicae rationis cupidi cognoſcendae, quantum ei ſit facultas, omnia, quaecunque illi objiciantur, donec ad hos ultimos, quo debet conſiſtere, fines pervenerit, ſumma cura et diligentia exponere: Quo enim propius ad hos perventum fuerit; ſpeciem eo ſimpliciorem natura induet. Hanc vero ſimplicitatem nimis curioſe quaerendo, obſcura ratione et deficiente, in ſummo dubio verſemur neceſſe eſt; et ſic errantes, duce deſtituti, in falſum, periculum eſt, ne praecipites ruamus. In omni diſquiſitione, cui nullus eſt finis, cujuſve finis, a cognitione humana, longe amovetur; ſimul ac metam rationis, quam tranſgredi nefas, attigerimus, ab inveſtigatione deſiſtere oportet: conjecturae etenim ſolae, experientia pariter ac ratione nihil opis afferente, ad cognitionem naturae promovendam minime quidem ido-

neae reperiuntur. Quomodo fit, ut facultate ſeſe peten-di invicem ac fugiendi, quaedam polleant corpora; na-ura rerum creatrix, conſultrixque utilitatum et provida, mortalibus ut pateret, omnino denegâſſe videtur; neque evera minus, cur unum alterius ope corpus in motum iatur, nos rationem celavit. Rei utriuſque explicatio ta difficilis eſt et ardua, ut viribus humanis vix exe-quenda eſt aut quidem tentanda.

Res, quotquot ſint, quae ad vitam animantium pro-prie pertinent, eas, propterea quod ab aliis omnibus lon-giſſime diſcrepant, mentis ſeu animae operae tribuerunt olim philoſophi, ac tribuunt. Si vero Deus, primordio mundi, inertis materiae leges inſtituit, et ſi, per omne emporis ſpatium, has praeſente ſuo numine regit, ad-miniſtrat conſervatque; cur talem animantibus non quo-que adhibuit curam, curve tali eas attentione non dig-natus fuit, peritiores eſtote judices.

Illum, quod ſatis eſt, et recte feciſſe, qui, quatenus ratio adjuverit, curioſe et diligenter rerum naturas inda-gavit, qui vero, ſimul ac ei amplius praebere auxilium recuſaverit, de inveſtigatione deſtitit, eaſque pro legibus habuit, confitendum eſt.

Ne quiſquam inde poſſit concludere, philoſophis, in rebus naturae inveſtigandis, citius ac juſtum ſit, de ea, de

qua quaeritur, re deſperandum eſſe; me contrariam in ſententiam libenter inclinare fatebor: Quicquid enim fieri poſſit, de eo turpiter deſperatur. At ſi experientia nos defecerit et ratio, longius anquirere parum ſit utile. Quotieſcunque ad ignotum principium confugimus, noſtra rerum cognitio nullis inde incrementis, vel ſaltem minimis, adaugetur. Si forte fluidum univerſale detegi poſſet, naturà tum ſimpliciſſima videretur; quomòdo vero ipſum hoc fluidum moveretur, agitaretur, pulſaretur, rationem reddere, aeque foret difficile, ac nunc eſt, eo nondum detècto, cauſam, cur corpora attrahuntur invicem et repelluntur, explorare. Praeterea, ſi hoc fluidum, ubicunque ſit, idem eſſe exiſtimatur, cur tam variant ejus effectus? Ut ultima omnium, quae quotidie noſtris obverſantur oculis, cauſa aut diverſa ſit, aut ſaltem diverſa polleat vi, neceſſe eſt. Quod cum ita ſit, natura, ope hujus fluidi quod quidam ſibi fingunt, non adeo, ac primo intuitu videatur, ſimplex evaderet.

De diverſis, hac de re, philoſophorum opinionibus jam ſatis dictum eſt: nunc, conſilio ita, ac ſupra fieri maxime probavi, faciendi, de rebus vitae animalium propriis, quantum et quam breviſſime potero, diſſerere memet accingam. De his dum agitur, nulla ratione abſtruſa aut recondita uti audebo; ſed, rebus ipſis ducibus, theoriis vanis maleve ſtabilitis aut fidere, aut auſcultare nolens, quaecunque mihi vera eſſe videantur, ea enarrabo.

PARS I.

DE IIS REBUS UNDE ORITUR VITA.

AD rem noſtram eſt, ut hic loci notaretur, vitam imperfectiorum animantium, nihilo fere ea, qua gaudent plantae, praeſtantiorem, nihilo fere excellentiorem, nihilo fere perfectiorem, revera exiſtere. Nec homo ipſe, omnium quaecunque ſuper terram vivant aut vigeant, plane princeps, brutis animalibus, ſaltem quod ad vitam attinet, aut praeſtat aut excellit.

In omni iſta admirabili continuatione ſerieque rerum, qua aliae ex aliis nexae, omneſque inter ſe aptae et colligatae eſſe videntur, eſt nihil quod movet, niſi quodam extrinſecus impulſu agitetur. Quod cum ita ſit, quamvis, res omnes ab primis et quaſi inchoatis naturis perluſtrantes, ad perfectiores et ultimas progredimur; quod rite vocari poteſt Automaton, quodve per ſe, ac ſua ſponte, movet, id ne quidem inveniemus. Cum igitur motus plane eſt nullus, niſi aliud alio moveatur; cumque vitam, in motu continuato et diuturno, omnem

conſiſtere videamus; quaeſtio debet eſſe, quae ne longa ſit faciam, unde oritur, et quot qualeſque ſunt cauſae?

Animantes nil, a mortuis, ſeu inanima natura, diverſi, nil ſibi proprii habent, niſi quod facultate, ob quam rerum externarum impulſu afficiantur, excitentur, in motum denique ciantur, gaudent. Hac proprietate ſublato, ſtatim perit vita. Quicunque ſint, et ſunt quidem plurimi, qui mentem hujus facultatis efficientem eſſe cauſam ſibi fingunt; et quicunque, ſi forte ſint ulli, eam eſſe mentem ipſam ſibi perſuadeant; ii naturis iſtius ordinis plane derogant detrahuntque. Si etenim mentem cauſam eſſe iſtius facultatis, quae vivis corporibus ineſt, et ob quam, rebus, quae iis aſſidue incumbunt, apta in motum cieri evadunt, pro conceſſo habeamus et vero; nihilominus, eam non ſolam eſſe vitae originem et fontem, ſed revera muniis vitae fungendis imparem eſſe et ineptam; donec impellatur vi aliena, quieſcere; donec excitetur, dormire; in comperto eſt.

Corporis animalis fibrae, quamvis ſumma arte et mirifice fabricatae, et varias functiones mirabiliter quamvis efficiant, minime quidem ſponte movent; movent vero, ſi alieno pulſu agitentur. Id igitur, quodcunque ſit, quo fibrae gaudent viventes, aut quaecunque ſit ejus cauſa; attamen, ſuapte natura, ſi nihil opis res vicinae afferrent, vitam minime conſtituere poſſent; ſi enim,

ab actione rerum iis incumbentium, ſemotae ſemper exiſterent, in aeternum forent quietae. Hujus rei natura ita eſt. Sapiens Conditor rerum, fibras animales, cum primum eaſdem confecerat, facultate condonavit; quò, ea manente, ſemper, quoties aliquid eas impelleret, moverentur; et, quamprimum res excitantes a fibris ſeorſum amoverentur, hae ſtatim deſinerent movere, et ita quieſcerent, donec iterum quodam impetu moverentur.

Non, ſi totam oculis perluſtres naturam, rem ullam ſingularem, quae ex propria vi, ex propria facultate, aut propria denique virtute, aut producat aliquid, aut praeſtet, aut agat; vel animo cogitare vel revera eſſe invenire poteris. Tanta eſt continuata rérum cognatio, ut alia aliis, quò aliquid efficiatur, conſpirent et conſentiant; ſicque, quò cuncta rite abſolvantur, omne, ab infimo ad excelſiſſimum ordinem rerum, dat auxilium petitque invicem.

Ratio exinde ſatis manifeſta redditur, cur, cum res ita ſint, vita res minime ſimplex habenda eſt; aliter enim, ex diverſis conflata duplicem agnoſceret cauſam. Iſta, enim de cujus natura ignoratur, facultas, qua primitus inſtructae fuerunt fibrae animales, aeque, at ne plus quidem, ac illae res, quibus, per omne temporis punctum, dum ſpirat animal, objiciuntur, vitae vitaeque muneribus inſervit. Ad hanc rem exponendum, ut fuſius de utriſque diſſeramus, opus eſt.

PARS II.

DE IRRITABILITATE

SECTIO I.

DE QUALITATIBUS CORPORUM DIVERSIS.

ISTAM, de qua quaeritur, facultatem, quae fibris viventibus ineſſe invenitur, eſſe qualitatem iiſdem propriam, et ſui generis, ſed cujus natura humano denegata viſui, ſumma obſcuritate manet recondita, ponere fas ſit. Qualitates, quibus inſunt, corporibus orbatas, ſi quis cogitare animo velit, hae mentem effugient ſtatim ac evaneſcent; eaſdem enim, niſi corporibus inhaerentes, mens humana capere plane nequit. Qualitatem quadrati, a corpore quadrato ſeorſum detractam, aut fingere animo, aut excogitare, fruſtra tentatur. Quid enim eſſet? Plane nihil. Pari modo, corpora qualitatibus orbata neque ſunt, neque eſſe poſſunt. Si quis corpori levi et duro et extenſo levitatem et duritiem, una cum extenſione, ope imaginationis, adimere vellet; quid reliqui concipere poſſet? Variarum, quae corporibus

competunt, qualitatum, aliae ſunt, quas natura iis ita arcte ſociavit, ut, illis detractis, haec exiſtere nequeant. Aliae vero ſunt permultae, quae, corpore ipſo manente ntegro, facile disjungi poſſint; quaſque ſi quis disjungeret, commutationem tantum corporis, minime autem xtinctionem, afferret. Ut corpus efficiatur, nec duriie nec molitie opus eſt; corpus vero neque extenſum, ieque vi reſiliendi praeditum, quiſnam animo concipere oteſt? Tale corpus nec revera exiſtit in rerum natura, iec poteſt exiſtere. Ita in fibra animali hoc locum obinet; nam, dempta iſta facultate, ob quam alieno pulſu itari apta ſit, fibram, per ſe, exiſtere poſſe, experientia atis claro eſt argumento. Inde fit, ut ne amplius duitari poſſit, quin facultas fibrae animalis modo dicta, uam ei dedit natura, qualitas ſit conſtitutioni ejus non eceſſaria, quaeque tamen ab ea, ſine vitae extinctionis iſcrimine, ſeparari non poſſit; utpote quae, perinde ac ieterae qualitates, nullibi, niſi in proprio corpore haitans, invenienda. Dubitari vero quidem poteſt de acultate ipſa, de cauſis unde fiat atque oriatur.

SECTIO II.

GENUS NERVOSUM, UNDE DERIVATUR IRRITABILITAS, FONS EST.

QUIN haec facultas, quae fibris moventibus, dum vivitur, competit, generis nervoſi ſolius ſit quaſi progenies, et quidem, praeter id, nulli corporis animalis parti propria; nemo eſt qui amplius dubitare poteſt. Num muſculi et nervi gaudeant qualitatibus, quae a ſeſe invicem nihilo diffident, peritiſſimi, inter ſe, nondum convenerunt; nec eſt ad rem noſtram, an ſint iidem, necne. Parum forte a vero abſonum, parum alienum eſſet, ſi forte alicui in mentem ſubiret ita cogitare ita dicere; corpus, nimirum, univerſum, ita eſſe fabricatum, ut variae ejus partes, aliae ab aliis, revera minime ſint diverſae: pro vero ratione elementorum; pro vaſorum numero, diſtributioneque nervorum; proque, ob has cauſas, mobilitate, molitie; pro, denique, his omnibus,

quae ex jam recenſitis pendent; partes corporis animantis longiſſime quidem inter ſe differunt. Singulis etenim corporis partibus propriae fibrae, propria vaſa, proprii nervi competunt; utrum tamen ſint, niſi in gradu, eaedem, an ſecus, inter phyſiologos nemo eſt, aut cui ſatis liquet, quive judex idoneus eſſe poteſt. Longum vero eſt ad omnia, quae ſunt talia, ut et parum certa, et a re, de qua hic agitur, aliena eſſe videantur.

Si ex experimentis jam ſatis conſtet, motum vitalem nuſquam locum obtinere, niſi iis in partibus, ad quas nervorum ramuli tranſire manifeſte cernuntur; ibique vitam, curſu horum non impedito, florere: contra vero ſi conſtet, ipſas has partes vitalia longius edere ſigna ſtatim deſinere, ſi quid, quovis modo, curſum nervorum impediverit aut obſtruxerit: quin facultas iſta, vel, ſi velis, vitae principium, de qua ſcripſimus, nervoſo generi attribui debeat; longius in dubio haerere non poſſumus. Natura vero ipſius facultatis latet, forſanque latebit.

Pars iſta, in qua maxime viget vis vitalis, cor eſt: cordis autem motus, animali non ſolum inſcio, ſed etiam invito, dum ſacra flamma illaeſa et intacta corpori ineſt, mirabili et regulari conſtantia peraguntur. Exinde vero non ſatis eſt cauſae, quamvis voluntas motuum multorum rectrix et domina, neque ullam in motus vitales

auctoritatem tenet neque imperium, cur, nervis, ad haec munera obeundum, non opus eſſe, crederemus. Contra enim nervorum ramulos, cor, nec parca quidem copia, adire, dudum invenerunt anatomici; et unuſquiſque, qui vires nervorum atque naturas notas habet, ſi eorum curſum, quo minus ad cor adeant, interrumpat, ſatis videbit rationis, cur ſigna vitalia longius edere non poſſint.

Dum ſolitis ſuis muneribus nervoſum fungitur genus, durat vita, floret et viget: id autem, quodcunque ſit, quod vim generis nervoſi, quovis modo, imminuit, vitae vigorem, pro rata parte, frangere, propria cujuſque medicorum experientia ſatis probat. Poteſtates nocivae, quae in corpus graviter agunt, ſeu dotibus *chemicis*, ſeu *mechanicis* praeditae ſint, ſeu qualicunque vi agendi aut natura gaudeant; ſi cuivis corporis parti admoveantur, ibi vis vitae adeo afficitur, adeo, ſcilicet, deficit atque langueſcit, ut pars, brevi, mortua evadat. Pari ſimilique modo, ſi, quovis caſu, aut quovis, ſi velis, conſilio, harum poteſtatum quae in corpus incumbunt, quaeque in corpus, dum durat vita, continuo agunt, actio ſit debilis, vel ſi omnino deleatur, aut ſi denique poteſtates ipſae ſubmoveantur; aeque frangitur vita, labefacit, et fugit. Inde perſpicuum eſt, vitam totius fabricae integram manere et illaeſam; dum neque Cor ipſum, prae caeteris partibus, vi inſtructum vitali; ne-

que Senſorium Commune, quod fons generis nervoſi plane exiſtit; neque Nervi, denique, qui a cerebro undique per corpus propagantur; poteſtatibus graviter nocentibus, inſolitaeve cuidam actioni, exponuntur.

Quoniam vitae principium ad Syſtema nervoſum retulimus, et ei eſſe proprium, quantum in nobis fuit, oſtendimus; locus nunc eſt dicendi, utrum ſingulae hujus ſyſtematis partes, ſine aliarum ope, ſigna vitae edere poſſint, an, ad hunc finem, communi omnium partium opera opus ſit.

SECTIO III.

IRRITABILITAS DE OMNI GENERIS NERVOSI PARTE NON AEQUE PENDET.

NIHILO incorporeo agente, multis perſuaſum eſt, motum eſſe nullum, nec eſſe poſſe; quod verum ſi ſit, ii, qui motus corporis omnigenos, ſive ſint rati et conſtantes, ſive arbitrarii, ab animo proficiſci ponunt, late quidem a vero minime aberrant. Non rari ſunt quidem philoſophi qui ita credunt; ſed quid inde ſequitur, id in animum revocent et animadvertant. Inde, aut multum fallit judicium, conſequitur; animum nulla propria ſede in corpore contineri, ſed omnem corporis partem pervadere, ubique ſyſtematis ſua munera peragentem.

Limites materiae qua aſſidue verſamur, quam quotidie videmus, quaeque omni ſenſu, qui hominibus a natura tributus eſt, percipitur, hucuſque tranſgredi non auſi; rebus reconditis, et nimis, pro humanis viribus,

arduis, relictis; Syſtema Nervoſum, rem corpoream, noſtriſque aequiorem viribus, ſtudioſius ampliuſque reſpiciamus. Ex experientia omnium fere medicorum, qui primoribus labris medicinam deguſtaverunt, ſatis ampla depromuntur documenta; quae, nervum, ſi ejus curſus ſive ligando, ſive premendo, ſive denique incidendo, intercludatur, ultra interclusionis punctum, uſitatis ſuis muneribus imparem evadere, ſatis confirmant. Hoc enim, ſi accidat, ut ſenſus motuſque omnis, ſive ſint ii quos excitat voluntas, ſive ejus imperio qui non obediunt, ſtatim deleantur, facit. Cauſa igitur vitae ſignorum, ubique corporis, minime adeſt. Quocirca, inde omni ratione concluditur; ſingulis nervorum ramis, qui aut cor aut aliam quamvis corporis partem adeunt, omnino inciſis; vitam, priore caſu, toto ex corpore, poſteriore vero, ex iſta ſaltem parte, motu ceſſante, deceſſuram.

Si forte aliquis, omnes hos motus aequabiles, mirabilique conſtantia ſemper peractos, quique ſola vitae ſigna jure habentur, muſculis tribuere velit; at nihilominus tamen, nervos prius, ac muſculi, rebus externis imprimi; muſculos ipſos ſola nervorum ope in motum cieri; ideoque vitam in nervis, propria velut ſede, ponendam eſſe; non concedere nequit. Odores tetri quidam et ingrati, iis habitus delicatioris Syncopen inducunt; atque idem quibuſdam animi affectibus effici poſ-

ſe, notiſſimum eſt: inde parum inſtabile prodit argumentum, cur nervi aliud, ac vehendi ſolum impreſſiones, munus ſibi vindicarent. Cur enim a motu cor unquam quieſcat, imminuta vis cerebri in cauſa eſt. Inde, ut nervi non ſolum ad muſculos impreſſiones devehant, ſed iis vim quoque ſuam impertiant, neceſſe ſit.

Commercium, cerebrum inter et extrema nervorum, omni impedimento expeditum, ſenſationi pariter, ac fibrarum corporis motui, admodum eſſe neceſſarium, ita conſtat, ut nihil clarius, aut luculentius eſſe poſſit. Exinde firmiſſimum fluit argumentum, cerebrum ſedem eſſe alterius; alterius autem originem, unde vis, qua ipſe perficitur, plane derivatur. Id vero, qualecunque ſit, quo tale commercium, inter hoc organum et caeteras nervoſi generis partes, obtinet; an vibrationibus, an potius fluido quodam peculiari, hinc per nervorum curſum et illinc, quadam ex impulſu vi tranſeunte, abſolvatur; natura alte recondidit, noſque anquirentes hactenus celavit. De tali re quaerere nec ad rem noſtram pertinet, nec ei aliquid, etiamſi ad liquidum explicaretur, lucis afferret. Nos certiores fieri, commercium, has inter partes, de quibus modo dictum fuit, revera intercedere, utile eſt; etſi modum, quo fiat, in obſcuro natura poſuit. Ex his praemiſſis, non eſt ſine ſumma ratione ut concludamus; vim ſeu *energiam*, quae ſingulis nervoſi generis partibus competit, ad munera ejus obeunda non

ɩtis valere; et, quin cerebrum aliis corporis partibus uxilium nuſquam non praebeat, neminem eſſe, qui du-itare poſſit. Nonne, igitur, a vero deflexerunt, nonne ɩtionem deſeruerunt, nonne denique ſpreverunt experi-ɩenta; qui ſibi volunt perſuadere, animum, omnium, uae genus edit nervoſum, cauſam in ſe continere; qui-ue ſimul arguunt, eum quidem, per totum corpus eſſe iſſitum, ita ut, ubique corporis, ſigna ſui conſtanter ex-ibeat? Cum autem, cerebro nullam opem ferente, cor-oris functiones dormiſcant; ex hoc ſaltem, animum, ſi ſit ɩ motus cauſa, iſti organo inſidere, indeque ſuum munus, bique corporis, nervorum ope, peragere, etſi hoc mini-ɩe ad verum accedit, probabilius eſſe videretur. In functi-nes vitales imperium animalibus nullum datum eſt. Ve-intamen, ex motu vitalium organorum ceſſante, nervis, npeditis; qui ea adeunt, quique in ea ſeſe diſpergunt, erebrum aliquid facere, quo hae peragantur functiones, itis apparet. Quomodo vero hae functiones, ad ſua obe-nda munera, ſi nihil obſtat, quo minus cerebrum iis, ae-ue ac caeteris, vim ſuam impertiat, aptiores evadant; os omnino neſcire, confitendum eſt.

SECTIO IV.

IRRITABILITAS, NON EX ANIMO, SED EX STRUCTURA GENERIS NERVOSI PROPRIA, PENDERE VIDETUR.

IN irritabilitate fibrarum corporis viventis vitam totam eſſe poſitam; ipſam autem hanc irritabilitatem, quatenus ſcire poſſumus, Syſtemate nervoſo, primo velut fonte, affluere; ſingulaſque denique, nervoſae ſubſtantiae partes, auxilio cerebri negato, quo motus ciatur vitalis, non ſufficere; pro virili parte oſtendere, conati ſumus. An aliquid ulterius? Si irritabilitatis, ſeu iſtius fibrarum animalium facultatis, qua, ſtimulo admoto, moveant, propius ad primam cauſam accedere velimus: Reſtat, ut, quae, qualiſve ſit ejus cauſa; ſive, ſcilicet, ab animo, ſive a mente excelſioris ordinis et dignitatis, ſive, denique, a feliciſſimo atomorum concurſu, caeca ſorte, effecto, proficiſcatur; inquiramus.

Cur, ex quovis atomorum concurſu, curve potius,

c diverſis inanimae materiae partibus, quae ſibi invi-
em forte occurrant, ita fieret, ut aliae alias impelle-
nt, motuſque inde exhiberetur; rationem perobſcuram
ſe, quidem pertinaciſſimus quiſque facile videbit,
onteque confitebitur. Sed qui fit, ut aliquid materiae
pers, quale nunquam viderimus, quale in animo nun-
iam conceperimus, qualeque nec ipſum, nec aliquid
is ſimile fingere poſſimus, cujuſque exiſtentia omnino
noretur, effectum ederet tam mirabilem, qualis, inter
mines, motus corporis exiſtimatur; ſi alicui res ſit ex-
cabilior, rationem proponat, remque perobſcuram,
denſa caligine obrutam, expediat. Sed, interea, ani-
advertendum eſt; irritabilitatem, de qua quaeritur,
nime vitam conſtituere; minime motum eſſe; ſed tan-
niſtius particularum vivi corporis diſpoſitionis effectum,
a, ſtimulo aut rebus externis iis admotis, movent: nihil
im movere in rerum natura, niſi alieno pulſu agitetur.
hanc rem propoſitam exponendo, ſi materiae tranſgre-
imur fines, ut in regione prorſus ignota erremus, neceſſe
: quod cum ita ſit, noſtram diſquiſitionem parum fore
lem, parum fructuoſam, nobis perſuademus.

Quicunque ſit, qui animo irritabilitatem vult aſcri-
re, fibraſque vi nulla, niſi quam ab eo derivant, gau-
re; animum ad id faciendum, cujus eſt omnino in-
is, nullo tempore non eſſe in promptu debere, negare
quit. Res ex regno minerali, quod omnino vitae ex-

pers exiſtit, aeque explicatu difficiles, quaeque aeque, ac irritabilitas ſeu vita ipſa, humanam cognitionem et humanum ingenium exuperant, viſui noſtro quotidie obverſantur. Qua, quaeſo, gaudere poteſtate magnetem oportet, quò ferrum eum petat? An mutua magnetis et ferri ad ſe inclinatio, minus, ac vita, mirabilis eſt, minuſve inexplicabilis? An iis animum, ſeu ſpiritum inferioris ordinis, ſummum Numen praefecit? Vix prae ſe ſpeciem argumenti ferre videtur, naturam ſpiritu magnetem dignatam eſſe, qui, ferro non admoto, ſemper quieſceret. Si vero, hac opinione derelicta, quis Deum ipſum, pro cauſa, mutuae, magnetem inter et ferrum, attractionis, habeat, et pro talis opinionis veritate, ſtrenue et acriter pugnet; animadvertat ille, hanc opinionem nil magis ad inanimam materiam, quam ad eam vita praeditam animali, et plantas, ſpectare. Fortaſſe vero rectius eſt, et orbis dignitati conditoris minus alienum, ita dicere; eum, ſcilicet, omnia primitus ita feciſſe, ut, eorum ſtructura inviolata et integra manente, tales, quales vidimus et monſtravimus, ſpecies, et ſigna, conſtanter ederent. Sic ex ingenti difficultate, et quaſi inextricabili, noſmetipſos expedivimus; aliter enim, omnes materiae inanimae, quas videmus, ſpecies, ſpiritui tuenti eas, et adminiſtranti, tribuendae eſſent; quoniam attractio et repulſio particularum inanimae materiae, nihilo, plantarum vita, vitaque animalium, ſunt expli abiliores.

Reſtant et plura argumenta, quae in noſtrum auxilium vocari poſſunt, et quae, ut in alteram partem inclinemus, ac ut animum in cauſa irritabilitatis eſſe credamus, plurimum et poſſunt et faciunt. Si animus revera ſit hujus cauſa: omne, quod homini mortem infert, quacunque vi polleat, vel quamcunque exerceat, ut in mentis facultates, minime autem in corpus, derigatur, neceſſe eſt. Res autem omuino aliter ſeſe habet; nam unaquaeque fere cauſa mortis, in corpus omnibus viribus incumbit; mens etenim ſaepe ſerena, ſuique compos, ad extremum manet. Si conjecturam in medium proferre fas ſit, has vires nocentes, naturalem nervorum ſtructuram, in aliam, mutando, ſuos edere effectus, dicerem. Morbum, exempli gratia, gravem et infauſtum, minime mentem afficiendo, ſed genus nervoſum in deterius reddendo, infelicis hominis vitae imprimis periculum grave, deinde ruinam inevitabilem, inferre, animus, ut credam, inclinat. Medicinae monumenta, exempla, nec quidem ſe rara, mortis affectus animi vehementer excitatos ſequentis, ſuppeditant. Quid eſt cur dubitaremus, quin animi affectus, ad ultimum vitae finem, perinde ac aliae mortis cauſae, ſuas in corpus vires dirigendo, hominem perducant? Huic rationi congruum eſt, nos ſaepe vidiſſe affectiones animi graves, revera morbos excitantes, qui, post animum ad ſantitatem reductum, corpus, longum per tempus, infeſtaverunt.

Facultatem corporum, qua flammam edunt et calorem, principio mira ſubtilitate qualitatibuſque ſibi propriis, originem ſuam ducere, per centum fere annos, inter *chemicos* conveniebat. Hoc vero principium hactenus delituit, et etiamnum lucem fugit. Oculis etiamſi obveniret, aut ſi id ipſum manu prehendere nobis eſſet in poteſtate, dum comburebant corpora; tamen non idcirco clarius combuſtionem exponere poſſemus, quam nunc, tali principio nondum detecto, poſſumus. Id invenire ſi nobis datum eſſet, tum equidem, cuicunque inhaereat corpori, id ad inflammationem ſubeundum aptum eſſe, affirmare poſſemus; ſed, praeter hoc, nihil. Eo vero nondum detecto, quod fere eſt ejuſdem momenti, quantum ad rerum ſcientiam pertinet, corpora, nempe, certi generis ita fabricata naturâ fuiſſe, ut, ſi igni, ſub dio, exponantur, ſtatim caleſcant, exardeſcant, incendantur et conſumantur omnino, dici poteſt. Huic favet opinioni, quod plurimi *chemici* veritatis ſtudioſi, rationiſque naturae cognoſcendae cupidiſſimi, hanc facultatem, ipſius ſtructura corporis incognita contenti, malunt exponere, quam ad principium ignotum eam referre. Cum corpora accenduntur, ſigna ea, quae exhibere ſolent, non, quantum nobis eſt facultas judicandi, *Phlogiſtico* principio, ſi aliquid tale revera exiſtat, quam corporis ſtructurae miro et peculiari modo effectae, affiniora ſunt. An ex hac fluit analogia argumentum ejus firmitatis, ut nobis ita perſuadeat ut credamus, vitam, omniaque vitae

ſigna, ad ſpiritum ſine fugiendo, explicari poſſe? Quicunque ad hoc principium, quò ſolvatur nodus, decurrere cupiunt, ſummam manifeſte produnt ignorantiam; quod facere, quam laborem, hoc principium quaerendo, perdere, certe optabilius eſt.

Porro attende, quaeſo, quo ſerpat, quod probet aut confirmet, id quod nunc dicam. Unde, quaeſo, eſt ratio illorum morborum, in quibus, ſana valetudine, muſculi, qui voluntatis imperio ſemper obediunt, animo invito, varie atque mirabiliter excitantur, moventur. In Morbo Comitiali, Tetano, *ſpaſmodicis*que aliis morbis quam plurimis, ita fieri; ut muſculi voluntarii moti fuerint, diu et mirum in modum agitati et convulſi, dum animus eos quieſcere ſolicite deſiderabat, ſaepe vidimus. Si, cur hi muſculi, in morbis modo dictis, ita torqueantur, pulſui animi, ut cauſae, recte tribuatur; tum animum rei, cujus non ſolum eſt inſcius, ſed etiam cui prorſus contrarium fieri velit, in cauſa eſſe, oportet. Aliquid huic ſimile, in functionibus vitalibus, conſpectui noſtro quotidie patet; cor enim, vita manente, non, etſi attentio animi avocetur, non, etſi ſummo ſtudio in contrariam partem animus inclinet, unquam quieſcit. Si qui, hoc ex conſuetudine fieri, contendere velint, et volunt quidem plurimi, ſecum reputent, nullum exiſtere in rerum natura aut exemplum aut analogiam, unde talis concluſio aut fluit aut fluere poteſt; quod ſimul

ac fecerint, quin ſtatim, ſe erraſſe, et viderent et agnoſcerent, fieri non poſſet. Nos plurima, conſuetudine duce, perficere, innoteſcit quidem omnibus: membra enim fidicinis innumeros conficiunt motus, quos dirigere mens videtur propterea vix poſſe, quod, mente non ſibi conſcia, confici videantur; at revera tamen, non ſine imperio mentis, hi motus unquam conficiuntur; membra etenim ejus, animo volente, ſtatim quieſcunt. Mens quidem pluribus ſimul attentionem impendere nequit; et quicquid, ſi plura adſint, caeteris levius ſenſum imprimit, id mens aut non ſentit, aut ſaltem cito amittit; atque cui denique parum forte impendatur attentionis, ejus homo cito obliviſcitur. Eſt forte ob has cauſas, cur, dum motus quoſdam, qui ex voluntate pendent, conficimus, mens ſibi eſſe conſcia non videatur. Aſt, attentione revocata, membra, niſi homo voluerit, nunquam moventur. Alta verſatus cogitatione, pes meus moveat aut manus, dum, de tali motu, mens aut omnino ignoret, aut adeo leviter ad eum ſeſe attenderit, ideoque tam brevem ejus memoriam retinuerit, ut conſcius fuiſſe mihi non videar. Si vero ad haec membra animadvertam, ea regere mihi datur; donec enim voluntas mea, ſive quaedam extrinſicus cauſa, ea impelleret, manerent immota.

Late quidem errat, qui, fieri poſſe, ob longum uſum, putat, ut motus vitalis, ſpreto fere voluntatis imperio,

ieri poſſit. Si hoc verum eſſet, ſatis eſſet rationis, cur nde concluderemus, animalia, prima ac provecta aeate, magis, ex voluntate vivere; quod vero minime btinet. In organis voluntati obtemperantibus, quibus ulla inducitur conſuetudo, motus, irritamento admoto, xcitantur. Plurima, praeterea, idem probant. Cui on innoteſcit, irritatione ventriculi, fauciumve titillatine, ingentem cieri vomitum? Vomere vero nemo uſu iuturno aſſuefactus. Vagina titillata, an, mente impeinte tubi uterini ſinguli ſua amplectuntur ovaria. Mois ii omnes, qui ex partium conſenſu oriuntur, idem ne illuſtrant. Animi affectus varii in organa vitalia ıſigni vi pollent, eademque ſaepe ita afficiunt, ut abormes in iis motus ſaepenumero, animo quidem nonte, oriuntur. His motibus vero nihil auxilii affert onſuetudo.

Porro, motus vitalis impulſu animi non pendet. Quod oc ſtabilius reddit, in promptu eſt. Si enim res aliter ſet, quantum ad vitam attinet, animum, in animalibus ſimi fere ordinis, perfectiorem, ac in hominibus, iiſque imantibus, qui a hominibus ſunt perfectione propiores, ſe, oportet; illa enim, quam hi, ſunt vitae tenaciora, ſi hi excelſiore gaudeant mente et perfectiore. In moımentis medicinae exempla recenſentur animalium; uae, poſt diviſa in varias fuerant partes; quae, poſt ırtibus, quae multo iis uſui ad vitam erant, fuerant

privata; quaeque, denique, poſt iis capita detruncata fuerant, et membra articulatim diviſa; vitae tamen participia diu manſerunt. Homo vero, iique animalium ordines, qui, animi facultatibus, ad eum propius accedunt; levi vulnere accepto, praeſertim in earum vicinia partium, quae ad vitam tuendam ſunt utiliores, ſaepe dant animam; talibus vero cladibus, quales memoravimus, illatis, nequeunt quin animam ſtatim efflent. Animum eſſe vitae cauſam, ſi aliquis velit contendere, illum, mihi liceat, interrogare; unde fit, ut homines, etſi excelſioribus mentis facultatibus revera gaudeant, tamen e vita, leviore cauſa, ac infimum ſeu imperfectiſſimum animalium genus, decedant? Fert quoque animus rogare; unde fit, naturam hominum dediſſe generi, vita nihilo perfectiore frui, quam qua fruuntur bruta animalia; cum, in his, functiones vitales et naturales aeque vigeant, ac in illo? Qualitas iſta, qua fiunt vitae tenaciora quidem fere infima animalia, ſi auſim ſuper hac re proferre ſententiam, ſi pro vero habeatur, fibras moventes modo peculiari fabricatas iis competere, ita ut fiant non adeo mutatu faciles ac in aliis animalibus, ideoque difficilius officiis vitae impares evadunt, vimque eorum nervoſam largiori et aequabiliori copia, undique corporis eſſe diffuſam, ſolum explicabilis; aliter enim mens perfectior imperfectiore eſt deletu facilior. Quocirca, ſi res ita ſit, vita aeque vigens et perfecta, quae variis contingit animalibus, aequali irritabilitate, quam eorum fibris

tribuit natura, plane prodit; quatenus vero vigetius aut perfectius in hoc, ac in illo vita floret animali, fibris eorum impari diſſimilique modo conſtructis rectius ac animis dotibus diverſis gaudentibus tribuenda eſt.

Ratio, cur volunt philoſophi motus vitales animo tribuere, ex ingente hujus principii veneratione, ſine dubio, proficiſcitur. Qandocunque, ad verum notis et ſtabilitis principiis accedere, noſtrae non valeant facultates; aliquid ignotum, in auxilium vocare, nobis haud infrequens mos eſt. Sic quidem à certamine receditur, dum nihil quo lis dirimatur, dum nihil certius, aut, fortaſſe verius, ac quod antea compertum habuerimus, in medium profertur. Quemvis interrogarem; utrum illi videtur, magis eſſe penes hominem, legum, quibus ſubjicitur ſpiritus, rationem detegere, aut detectam intelligere et explanare; quam phyſicam rationem cognoſcere. De eo, quin, ſcilicet, materia ſit iners, nemo eſt qui nunc dubitet; quin vero materiae particularum combinatio, quam modo ſingulari effecit natura, atque, ut mortalibus pateret, nondum voluit, ita fiat, ut, ſimul ac alieno aut externo pulſu fuerit agitata, moveret; nemo, quem conſuetudo, aut ſuperſtitio Scientiae verae gravis inimica, a vera non flexerit, inque diverſam ſententiam inclinaverit, aut recuſat, aut recuſare audet. Ita, ut modo dictum eſt, in corpore animali natura materiam diſpoſuit, ita ordinavit; ut, in eo, ſig-

na exhibeat longe alia, ac ea, quae, ſub ulla alia forma, edit. Etſi de hac diſpoſitione ignoretur, etſi altius, quam noſtrum ingenium penetrare valet, lateat; multa, eam cauſam eſſe unde oritur irritabilitas, ſunt, quae demonſtrant.

Motui vitali animalium quod ſimile eſt, in plantis plane obtinet. Hae enim, radicibus in terram alte adactis, quo aluntur, inde exhauriunt. Quod, cum fluidam induerit formam, per vaſa tranſit varias ſubiturum mutationes. Nam ſal, oleum, aqua et terra, ex plantis, *chemica* arte, eliciuntur. Num poſſibile eſt, ut plantae ita ſuum praepararent nutrimentum, atque ita ſuccos terrenos exhaurirent, et in tot tamque varias et admirabiles naturas, ſine motu, ſeſe mutarent? Minime quidem. Plantarum motus, luci, calori, fluidiſque ipſis jam praeparatis, quae in vaſis continentur; et per ea lento motu tranſeunt; quibus plantae, per omne temporis, dum vigent, ſpatium, exponuntur, quaeque ita earum fibras, ut moveant, afficiunt; potius, quam cauſae omnino ignotae, tribuendus eſt.

Muſculi e corpore excisi, priſtinae movendi facultatis pertinaces, brevem moram, exiſtunt, ſi ſtimulus idoneus iis admoveatur. Si hujus in cauſa mentem habeas, certiſſime, mentem ſua ibi munera, ubi ipſa non eſt, obire poſſe, negare non poteris. Docent enim Metaphyſici,

nentem minime eſſe diviſibilem; quam ob rationem, ſi ibi cum iis conveniat, partim in muſculis ſemotis ineſſe equit; nec, ex toto, iiſdem ineſſe poteſt, niſi ei alia, c cerebrum, ſedes aſſignata fuerit. Neque, quod dicas, us eſt; parti quidem disjunctae adhuc, tua opinione, neſſe aliquod ex animo derivatum; etiamſi, hoc princi-pium materiae expers eſſe, contendas. Si vero pro corporeo habeatur, fortaſſe ſit ultima generis nervoſi tructura, mirifice, a natura, fabricata. Multa obſtant, quo minus hic motus ullo alio principio, ſit explicabilis; niſi aliquod vis ſive cerebri *energiam*, nervis ubique cor-poris diſperſis competere, concedatur; qua fit, ut, per exiguum temporis ſpatium, fibrae iſtius, a corpore ſemo-tae, partis contrahantur. Quoniam vero mutuae eorum contractiones muſculorum et relaxationes cito deſinunt, et denuo non redintegrantur; ſatis eſt cauſae, unde con-cludatur, auxilio cerebri huic operae opus eſſe.

SECTIO V.

BREVIS HUJUS DOCTRINAE CONSPECTUS.

MIHI videor rem ſupra tractatam ita poſuiſſe, ita illuſtrâſſe, ita experimentis ſaepenumero ab aliis inſtitutis, exemplisque aptis, ſtabilîſſe; ut haec in veris eſſe ſtatuantur.

I. Nihil eſſe, per totum mundum, ab infimo ad perfectiſſimum ordinem rerum, quod, donec agitatum fuerit ab aliqua re aliena, aut quoquam munere fungitur, aut movet.

II. Vitam omnem motu mirabili, plerumque regulari et conſtanti, conſiſtere.

III. Ipſum hunc motum oriri, partim ex qualitate propria, quae fibris animalium moventibus ineſt, quamque

apientiſſimus rerum Opifex iis hoc largitus eſt conſilio, uò, rebus alienis admotis, agitentur et moveantur; atue partim ex his rebus ipſis.

IV. Motum vitalem, eo, qui in inanima obtinet materia, nihil eſſe mirabiliorem; et utrumque aeque eſſe inxplicabilem.

V. Qualitatem iſtam, cui nomen Irritabilitas fuit inlitum, et ob quam fibrae animales externarum rerum ulſu moveri accommodantur, pulſui animi, ut olim fuit pinio, et, fortaſſe, etiam nunc quibuſdam creditur, miime attribuendam eſſe; ſed; in animalibus, ac in planis, eandem agnoſcere originem.

Hic autem confitendum eſt, etiamſi materia, qua conat corpus animale, ex ſemine et nutrimento omnis derietur; at donec tamen generationis et nutritionis leges iluxerint, quomodo haec viveſcat materia, potiuſve uomodo evadat irritabilis, in obſcuro futurum.

PARS III.

DE IIS REBUS, QUARUM OPE, FIBRAE IRRITABILES IN MOTUM CIENTUR.

SECTIO I.

DE REBUS EXTERNIS.

NUNC de iis corporibus, quorum ſtimulo fibrae animalium, ita, ac jam diximus, fabricatae, cum excitantur, motum ſubeunt contractilem; pauca diſſeramus oportet. Ut fuſe de his agatur, res non eget. Haec igitur leviter tangam, praecipuaque tantum memorabo.

Calor, lux, aër, victus, quodcunque aut ſenſum ferit, aut animi affectus excitat, ad vitam vitaeque conſervationem requiruntur. Calore et luce detractis, deficiunt vires, et totum corpus langueſcit et moritur. Aditu aëris puri impedito, ſive immerſione in fluidis, vel impuro aëre, ſive ſtrangulatione; ob deficientem iſtum ſti-

mulum, quem animabilis et ſpirabilis puri aëris natura, animalium, dum per pulmones tranſit, ſanguini, omni tempore, ſi nihil, quo minus hoc introëat organum, obſtat, impertire ſolet; fere ſtatim perit animal. Cibus et potus, ex quibus animata omnia corpora conficiuntur, et ipſi ſunt ſtimuli; et, unde aequabiliſſimus ſtimulorum omnium et conſtantiſſimus, ſcilicet ſanguis, conficiatur et effluat; plenam ſcaturiginem praebent. Si forte animal, fama urgente, pereat; perit, aut quia deficit nutrimentum, aut quia uſitatus ſtimulus, et ad fibras excitandas, ideoque ad vitam conſervandam, neceſſarius, parciore, quam convenit, copia, admovetur. Fieri nequit vero, ut, ſpatio temporis tam brevi, quam quo exempla quamplurima accidiſſe docent, quodvis animal, ob defectum nutrimenti, mortem obeat. Perit igitur, quia ſatis vis ſtimulatricis ei non praebetur; juxta ac arbos, radicitus e humo evulſa, deflorefcat et moriatur. His vero rite applicatis aut exhibitis, deductis iis, quae quotidie feriunt ſenſum, animumque excitant, hebeſcit animal atque languefcit. Jam ſatis conſtat, haec omnia ſimul, animantium, dum vigent, fibras ita ſtimulare, ut ſigna vitae exhibeant; et, ſimul ac ſtimuli omnino deficiunt, mortem certo pede ſequi illachrymabilem.

Quod maxime fibras ſtimulat ideoque vitam maxime tuetur, ſunt varii humores atque diverſi, qui in propriis vaſis circumvehuntur. Singulae partes propriis ſtimu-

lantur fluidis. Univerſum per ſyſtema, circuitum fluida animalia perficiunt; et ſtimulum ubique admovent, quo contractilis continuo excitetur motus. Inter vitalia organa longe eminet cor; cujus actione totius corporis vita pendet et aeſtimatur. Hujus organi motus, duplice, ut ſupra memoratum fuit, origine naſcitur; irritabilitate, ſcilicet, qua, dato ſtimulo, pulſatur; et ſanguine, utpote cujus ſtimulo aſſidue movetur. Quo magis vis nervorum, ſtimulive ſanguinis, ut et aliorum ſtimulorum, augetur; eo cordis actio plus valida evadit: illa vero deficiente, haec eâdem imminuitur ratione. Motus, igitur, vitalis, magna ex parte, pendet ſtimulis, ſine quibus vita eſſe nequit. Vis ſtimulorum, ſive nimis ſit acuta, ſive nimis deficiat, aeque fit fibris pernicioſa. Ob hanc, igitur, cauſam, notatu dignum eſt; multis in morbis, praeſertim febrilibus, quibus organa vitalia maxime laborant, vires corporis aut nimis augeri, aut plus juſto imminui. Quocirca, ratio actionis atque virium, nunquam medendo, non adhibenda eſt. His augeſcentibus eſt medici moderari; ut curatio vero exhibeatur diverſa, diverſa earum incrementa exigunt. Noſtris ſententiis omnino igitur convenit, ſanguinem, quatenus vi gaudeat ſtimulatrice, ad vitam tuendam et conſervandam accomodari. Suum vero munus abſolvere, non ſolum per ſtimulum quem fibris impertit, ſed, aliqua ex parte, per qualitatem ſibi propriam, quamque SANGUINIS VITAM appellat, illuſtriſſimo noſtrati HUNTERO vi-

detur. De hoc vero, mihi, ut ſilentium teneam, fas ſit.

Vita, igitur, duplice fonte plane derivatur; ſtimulis ſcilicet, et irritabilitate; quorum nunc unum, nunc alterum excellit; utrumque autem haud raro contra valetudinem peccat. Haec oeconomiae animalis lex eſſe videtur; machinam, ſcilicet, quo longius, quo plus aut validius ſtimulis agitatur, eo minus agitari aptam evadere. Quod huic contrarium eſt, de ea aequo jure praedicari poteſt. In diverſis animalibus, et quidem iiſdem, diverſis temporibus multum variat vis irritabilis, de qua hoc animadvertendum ſit; animal, nempe, quo brevius natum fuerit, eo eſſe irritabilius; aut quo brevius ſtimulis, vel quo paucioribus levioribuſque fuerit expoſitum, eo hanc vim eſſe intenſiorem. Hinc variae, per decurſum vitae, corporis mutationes: hinc, quod hominem variis vitae ſtadiis, inſigniter notat: hinc, ſcilicet, Pueritia, Adoleſcentia, Juventus et Senectus; quae ſibi ordine obrepunt.

SECTIO II.

DE SENSU.

QUONIAM de rebus vitae propriis jam ſatis dictum eſt; nihil obſtat, quo minus alicui, hac de re, cogitanti haud alienum videretur, pauca de ſenſu et motu voluntario diſſerere; quippe qui vitae utiles ſunt et affines, quique animalia ab caeteris naturis diſtinguunt. Quare pauca de his proferam.

Sunt Philoſophi, et hi quidem illuſtres, qui, plantas ſentire, et ſibi perſuadent, et aſſeverant. Aſt vero argumenta, quibus hanc ſtabilire opinionem conantur, minime ſatis habent firmitatis. Senſus plane eſſe nequit, niſi res ſentiens, ſemetipſam affici, ſit conſcia. An plantae, ſi forte, re aliena admota, moveant, conſciae fiunt impreſſionis? Hi plantarum motus varii et mirabiles, quotquot ſint, quos ſumma ſaepe admiratione contem-

plamur; irritabilitati, ſeu iſti qua vivant facultati, potius quam ſenſibilitati tribuendi ſunt. Si plantis competat ſenſus, et ſi ob hunc, fiat, ut moveant; ut et ſenſu et motu gaudeant voluntario, neceſſe ſit. Quod ſi ita ſit, qua, quaeſo, nota animalia plantis diſtinguuntur?

Senſum animalibus proprium eſſe, animus inclinat ut credam. Sentiendi ſedes ſolo in cerebro, a natura, ſita eſt. Quod ſi verum non eſſet; unam partem corporis a caeteris disjunctam ſentire, et, communicatione, quae cerebrum inter et alias partes intercedit, quovis modo impedita, ſenſum nihilominus manere, oporteret. Nemo autem eſt, cui contrarium non innoteſcit. Nervi, igitur, quatenus ſentiendi munere funguntur, impreſſiones ad cerebrum tantum propagant: minime enim, per ſemetipſos, ſunt ſentiendi capaces. Quocirca, quo pluribus nervis pars inſtructa eſt, eo ſentiendi capaciorem eſſe compertum eſt.

Ubi parum irritationis admovetur, ſaepe diſtincte ſentitur; dum, e contrario, quod vix ſenſum moveat, multum irritare poteſt. Porro, irritatio, ob partium conſenſum, ſaepe oritur. Aſt vero nunquam fit, ut, ob hanc cauſam, ſentiamus. Irritibilitas, igitur, qua vivimus, a ſentiendi capacitate qua res percipimus externas, plane longe diſcrepat. Nervi quibus utraque pendent, an iidem

ſunt? Ita ſi ſint, diverſa gaudere facultate eos oportet: aliter enim, iidem nervi, aeque irritabiles et capaces ſentiendi, viderentur. Ipſi quidem nervi qui ſenſui inſerviunt, inter ſe diverſi eſſe videntur. Iſte enim nervus quo lucem percipimus, idem eſſe cum illo nequit, quo ſonos ad Senſorium advehitur.

Quotiescunque ſentitur, percipit quoque animal. Cognitio enim rei imprimentis, ſtatim oritur. Si perceptionem et ſenſationem revera inter ſe diverſas habere licet; tamen adeo arcto nexu aſſociari, ut, alterutra dempta, altera exiſtere nequeat, nequis ignorare poteſt.

Senſibus, ideas omnes, rerumque cognitionem, voluptates omnes et dolores, adipiſcimur; haecque, aeque ac ſenſatio ipſa, ſive cum primum percipiuntur, ſive iterum revocata, imperio in vitales functiones non omnino ſunt vacua, et fortaſſe ad vitam ſuſtinendam non omnina inutilia.

SECTIO III.

DE MOTU VOLUNTARIO.

DE motu voluntario perpauca tradere oportet. Quod maxime ad rem noſtram pertinere videtur, eſt, ut, hunc inter et vitalem motum, quo diſtinguatur, modum ſtatueremus. Motus voluntarius, ope nervorum, cietur, juxta ac ſenſus, et motus vitalis. Quomodo voluntas ſuum, in corpus, imperium exerceat, ex toto ignoratur. Sed eam muſculis ſtimulo eſſe oportet, perinde ac res externae functionibus vitalibus ſunt; quippe quae ſimiles motus contractiles producere queat. Nervi, quibus uterque motus cietur, an ſunt iidem? Ita ſi ſint, ut diverſa polleant vi aut facultate, neceſſe eſt. Aliter enim, quaenam afferri poteſt ratio, cur, animo volente, cor non interdum ſolito velocius moveat, aut omnino quieſcat? Hi motus inter ſe in hoc valde diſcrepant; quod vitales, nimirum, muſculi, etſi a primis vitae ſignis editis ad ultimam ſenectutem, ad mortem uſque, continuo et fere regulari motu agitentur, ſemper citra defa-

tigationem manent: muſculus vero voluntatis imperio obediens, exiguum tempus, violenter motus, magnopere defatigatur. Muſculus voluntarius ſtimulis externis excitari poteſt; functio autem vitalis minime voluntate unquam turbatur.

Motus voluntarius minime ad vitam eſt inutilis, quippe qui, ad ſanitatem tuendam conſervandamque, et amiſſam reſtituendam, minime ineptus.

SECTIO IV.

DE ANIMI AFFECTIBUS.

QUA polleant vi in functiones vitales animi affectus, vix opus eſt ut dicam. Animi affectus, ſive deprimunt, ſive excitant; et ſano mortem, et aegroto ſanitatem, afferre poſſunt. Hi, modo nimis graves ne ſint, ad vitam quoque ſunt utiles et in medendi uſu minime negligendi ſunt. In corpus, non ſecus, ni fallor, ac aliae impreſſiones, agunt; omnis enim animi affectus re aliqua externa excitatur.

SECTIO V.

DE OPERATIONIBUS INTELLECTUS.

INTELLECTUS operationes, quae nihil fere aliud habendae ſunt, ac impreſſiones quae, quo intenſius cogitetur, eo evadunt graviores; in corpus haud parum poſſunt. Si enim intenſum ſtudium corpus reddere morboſum poſſe concedatur, quoque concedendum eſt; quodcunque in cauſa morbi eſſe poſſit, id, ſi minus fuiſſet grave, ad ſanitatem promovendam aliquatenus profuturum. Ideae omnes, quas in ſe continet mens, quibuſque verſatur, intellectum per ſenſus ingrediuntur. Omnes animi affectus, res quoque externas, unde, veluti ex cauſis, oriuntur, agnoſcunt. Fieri igitur nequit, quin hae res, quae omnes gignunt ſpecies mutationeſque quae in animo oriuntur, vi ſtimulatrice polleant. An ex ſenſibus diverſis, quibus a natura homines praediti ſunt, facultatum animi et virium quae iis competunt diverſitas, mente eadem manente, oritur? Quaedam ſunt argumenta, ope quorum, haec opinio, quodammodo ſaltem, ſtabiliri poteſt.

SECTIO VI.

EX ANTEDICTIS CONCLUSIO.

EA quae in irritabilitatem agunt, quò vitae munera perficiantur et abſolvantur, nunc peregi. Ab irritabilitate vitales omnes functiones partim pendent. Res externae, de quibus ſupra dictum fuit, ſenſatio, motus voluntarius, ideae, animi affectus, et intellectus operationes, in eam agunt excitantque. Hae, igitur, res in uſum medicum veniunt omnes, et medici ſummam attentionem ſibi vindicant; utpote quae, ſi rite admoveantur, prout res poſtulent, et tollantur; et ad vitam tuendam conſervandamque et ſanitatem amiſſam reſtituendam, mirabiliter accommodantur.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROPE ANASARCA.